EQVITIS POL

Prophetia S. Hyldegardis Brouii T. XV.
Fol. 465.

Saluatores nominantur. ab Equite. fol. 4.

1626

Joannis Broscii Curzelouiensis
Medicinae Doctoris ordinarii
Astrologi. post mortem ipsius
Bibliothecae maioris Collegii in
Academia Cracouiensi. rogat
autem ut omnia quae hic inser
ta sunt, integre ad posteritatem
conseruentur aliogquin vnitatem hanc

Destruenti anathema
Conseruanti benedictio.

600.



IX. 10. 1.

Contactus. ad punctum

Vulgaris hic oculus caligabit diffidetq. plurimum.
Procul este prophani.

continentur ego audivi ex ore Frederici Schembek
Iesuitae, audiverunt et alii. Zahorzanus vero nunquam
Racoviae studuit neque Bursarum consuetudinem nullo modo
scire potuit alio, quam ex relatione Iesuitarum tragoediam istam adornantium.

Contenta in hoc volumine

1 Equitis Poloni actio in Iesuitas prima
2 Spongia contra Equitem Rosea
3 Actio Arnaldi in Parlamento Parisiensi
4 Praeparatio de rudentibus
5 Ad Paulum quintum per Rempublicam Venetam Oratio
6 Gravis deliberatio de compescendo crudeli contra Iesuitas
7 Odpowiedz na Artykuł przeciwko Iezuitom Iana Stangi
8 Responsio ad repraesentationem Iesuitarum
9 De Ignatio Concio Zahorzeni Calissiensis
Proca Dawidowa Zahorzewskiego
10 Objaśniwani przeciwko Iezuitom Stachora pasterza
11 Tarcza obrony przeciwko prawey
12 Vindiciae adversus Zahorzewski
13 Confutatio concilii Zahorzenskie
14 Examinatio Borussi stylo durissimo
15 Gratis, Przymówki, Consens.
16 Epistola cuiusdam ad quendam
17 Ad Senatores Regni Poloniae Scriptum Iesuitarum
18 Widok Stałegoprzytomy Iezuickiey S. Xawierego obraz.
Testamentum Anathema
Confirmatio benedictio.

inter 9 et 10 reponitur Proca Dawidowa Zahorzani Calissii impres-
sa, ibi locus non exprimatur, scriptum nihilominus ab ipsis Iesuitis confictum
sub nomine Zahorzii, [illegible] omnia [illegible] in quo [illegible]

Ioan. Mariana Hispanus Jesuita libro 220
Antiquis temporibus qui ex Monachis Episcopi ac summi
Pontifices extiterunt numerare vix licet, nostra aetate
unum aut alterum eorum non tam vitae integritate
quam malis artibus ambitiosos ecclesias esse pellectos
consideramus. Vide tote illud caput.

Perpetuò tua laus vivet nec Naimane Doctor
Gloria decrescens te tua destituet.
S.T.V.R.M.I.VS
Skrzycensis.

Brozek

RESPONSIO AD FAMOSVM LIBELLVM à PATRIBVS Societatis in Academiam Cracouiensem scriptum, & nomine Reprotestationis vulgatum.

Reproteſtatio

P P. SOCIETATIS IESV CONTRA VNIVERSITATEM CRACOVIEN. AD PROTESTATIONEM PER EANDEM VNIVERSITATEM inſtitutam, de vſurpatione ſtudii, ac diſputatione, à dictis Patribus facta.

Anno Domini *1622.* die Iouis, *28* Iulii, Reuerendus Pater Valentinus Ruſcouius, Procurator infraſcriptus, præſentem Proteſtationem coram me nouam exhibuit, & requiſiuit, vt eandē Magnifico & Admodum Reuerendo Patri, Rectori Vniuerſitatis intimarem, & ſuper his Inſtrumentum conficerem, præſentibus Venerabilibus Dominis, Ioanne Prawicz Altariſtæ Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis, & Hieronymo Gutkowsky Altariſtæ Eccleſiæ Parochialis Beatæ Mariæ Virginis Cracouiæ teſtibus.

EGO VALENTINVS RVSCOVIus Procurator Prouinciæ Poloniæ Societatis Ieſu, nomine Reuerendi Patris Georgii Tyſzkiewicz, Præpoſiti Prouincialis eiuſdem Societatis, & ipſius Societatis, coram vobis Domino Notario publico ac teſtibus hîc præſentibus, ad perpetuam rei memoriam, & ad omnem bonum & neceſſarium effectum, omni meliori modo quo licet & opus eſt, ſalua integra charitate ac beneuolentia ſinceræ dilectionis erga Vniuerſitatem Cracouienſem & o-

mnes ac singulos eius Professores ac Studiosos, eiq; adhærentes, propono & dico. Quòd hoc Anno 1622 Mensis Iulii die 13 horis pomeridianis, dum more in Capitulis Prouincialibus seruari solito ab aliis Ordinibus Regularibus, & Monasteriis, in simili conuentu seu congregatione nostra Prouinciali, quam nostra Societas statutis temporibus, propter priuata sua negotia habere solet, disputatio Philosophica, ab vno è Societate nostra religioso, intra domesticos parietes haberetur, & pacificè cum aßistentia Illustrißimi ac Reuerendißimi Domini Laodicensis Episcopi ac Suffraganei Crac. & Illustrißimi Domini Generalis Capitanei Crac. & variorum Dominorum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Crac. nec non aliorum nobilium, & plurimorum auditorum diuersi status, esset inchoata; quidam Domini Professores Vniuersitatis Cracouiensis, cum Notario publico à Magnifico & Admodū Reuerendo Domino Rectore dictæ Vniuersitatis (vti dicebant) venientes cum scripta Protestatione (vt postea agnitum) multis iniuriosa, & rebus non veris respersa, iurisdictionemq; Vniuersitatis ad ea, ad quæ nullā habet, nec vnquā habuit, imprudenter & variè extendente, meritoq; tunc à Patribus Societatis Iesu non recepta, sed reiecta, Religiosi domicilii immunitatem, quietem, & pacem Ecclesiasticis Canonibus, Summorum Pontificum decretis & priuilegiis, Regia autoritate stabilitam violarunt ac perturbarunt; inchoatam disputationem, nulli iniuriosam, nemini præiudicantem, in

tem, in iurium & priuilegiorum Vniuersitatis Cracouiensis præiudicium non institutam, Consuetudini omnium Ordinum & Religiosorum vbiq; terrarum vsitatæ, laudatæ & receptæ similem, Sedis Apostolicæ iteratis etiam Priuilegiis fundatam, Illustrißimi ac Reuerendißimi Domini Episcopi Cracouiensis loci Ordinarii, & dictæ Vniuersitatis Cancellarii menti conformem, dißipare conati sunt, sermone primùm & scripto, porrecta licet non acceptata Protestatione, præseferente manifestum sedis Apostolicæ, eiusq; Priuilegiorum, necnon autoritatis Regiæ contemptum, iniuriamq; Sancti domicilii, & Collegii S. Petri, à Serenißimo Rege ac Domino nostro clementißimo Sigismundo III. Patribus Societatis in hac vrbe, in Sanctæ Ecclesiæ ac Reipublicæ bonum fundati & erecti, & offensionem Nobilißimorum virorum præsentium, danteq; magnum præsentibus scandalum & occasionem ad seditiones & tumultus sanguinarios. Et hoc non contenti supradicti Domini Academici per quendam Magistrum primùm, deinde per Sapientem (vt vocant) Vniuersitatis aliquoties voce elata, nomine supradicti Magnifici & admodum Reuerendi D. Rectoris iusserunt sub pœna Excommunicationis (licet sine vllo iure ac robore) auditores è loco disputationis discedere, quanquam irrito conatu, & contemptum (iusto Dei iudicio) variè vsurpatæ seu prætensæ eo in loco & actu autoritatis & iurisdictionis adferente. Deinde finita disputatione, in auditorum Nobilißima & frequentißima

 tißima

tissima corona, quam locus sat amplus capere non poterat, variorum præter alios suprà commemoratos, Vniuersitatis Magistrorum, Baccalaureorum, aliorumq; Studiosorum honorifica præsentia condecoratus; quidam ex alumnis seu Studiosis Academiæ ipsis benè noti, ad incrementum inchoati tumultus, multiplicis iniuriæ, sæpius Theses Philosophicas & Theologicas à portis dicti Collegii & Templi S. Petri, violente ac tumultuariè iniurioseq; cum scandalo Hæreticorum & Catholicorum auulserunt, lacerarunt, combusseruut, domicilium S. Petri templo adiacens à Serenissimo Rege Patribus Societatis Iesu in eorum Collegium emptum ac donatum sæpè lapidibus nocturno tempore inuaserunt, fenestrasq; aliquot iis è platea publica violentè & studio nocendi iactatis confregerunt. Postea Theses Theologicas ex Summa doctrina Theologica S. Thomæ Aquinatis excerptas ipsis valuis interioribus Ecclesiæ Regiæ SS. Apostolis Petro & Paulo erectæ, affixas sæpè auulserunt, manibus primùm, deinde cum altiore loco essent appositæ, ferreo quodam instrumento, impetu facto abstraxerunt, idq; dum Sacrificium Missæ Domino offerretur, maxima populi frequentia, sacras nouorũ SS. Canonizatorum, nuper cum publica in locum Cæremonia illatas colentis. Hoc non contenti alias Theses auulsarum loco fortiùs affixas, maiore vi ac impetu aggressi, luto ac sordibus consperserunt, tanta violentia eas conati auellere, vt etiam in ea violentia lapidem è templi interioris pariete

tumultuariè extruserint, alioqui validè adhærentem muro & benè impactum, cum magna Dei inprimis, Sacrificij Missæ, Sacri loci, Regisq; Serenißimi iniuria & contemptu, necnon cum manifesto scandalo & certißima occasione ad seditiones lethales cædesq; per hos iniustos inuasores data. Postmodum die 17. Iulii dum in Ecclesia dicta SS. Petri & Pauli præsente Illustrißimo ac Reuerendißimo Domino Episcopo Laodicensi ac Suffraganeo Cracouiensi & Domino Generali Capitaneo Cracouiensi aliisq; Dominis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis, plurimaq; nobilitate, & aliorum omnium auditorum frequentißima præsentia inchoata est & Theologica disputatio, eadem occasione Congregationis Prouincialis (quæ tunc finem accipiebat) & nullam aliam ob causam (vti etiam disertis verbis 8 Iulii longè ante primam disputationem significatum fuit, à Reuerendo Patre Rectore Collegii S. Petri per duos Professores à supradicto Magnifico & Admodum Reuerendo Patre Rectore Vniuersitatis ad eum missos) quidam DD. Professores Vniuersitatis aucto suorum numero, eo ferè, quo 13 die, modo venerunt, turbantes noua Protestatione sua, & exclusione auditorum ab ea disputatione per Sapientem Vniuersitatis proclamata, & violantes pacem & immunitatem loci Sacri, & disputationis quietem, cum Dei inprimis & loci Sacri, ac Serenißimi Regis iniuria, contemptu nobilißimorum auditorum, graui scandalo omnium, & magna occasione per eos data

ad sedi-

ad seditiones, & tumultus, & cædes, omnemq; pacis, quâ priuatæ, quâ publicæ perturbationem. Quocirca de his omnibus & singulis coram vobis Domino Notario publico & testibus præsentibus protestor, & reprotestor nomine quo suprà, omni meliore modo quo licet, & opus est, tanquam de multiplici iniuria illata Deo, loco sacro, Sedi Apostolicæ, Serenissimo Regi, PP. Societatis Iesu, aliisq; temerariè, iniustè, sine vlla iusta occasione ab eis data, saluo Iure addendi, minuendi, corrigendi &c. &c. prout ius & stylus iudiciorum permittet &c. Salua inprimis syncera charitate ac beneuolentia PP. Societatis Iesu erga Vniuersitatem Cracouiensem omnesq; eius Professores & adhærentes. Anno Domini 1622. die 28 Iulij.

VALENTINVS RVSCOVIVS
Procurator Prouincialis Poloniæ
Societatis Iesu manu propria.

Respon-

Reſponſio.

LEgi Scriptum Patrum Societatis IESV contra Vniuerſitatem Crac. ſcriptum famoſum, mordax, rancoris & amaritudinis plenum; legi, inquam, & miratus ſum, talia à Societate proficiſci, illâ, quæ ſe in ſummo perfectionis poſitam iactat, quæ ſe Magiſtram morum & reformatricem mundi profitetur. Quid faciemus nos cæteri, qui ab ea exempla vitæ expectamus, ſi talia nobis dantur? O charitas, quàm malè habes, malo hoc æuo, quàm inanis tui imago, non niſi oculos hominum faſcinat, vbi vel maxima eſſe deberes, fucus tui & phaleræ inanes relictæ nobis, tu cum bonis maioribus noſtris candida & ſimplex virtus in cœlum abiiſti: pepulit te terris ſuperbia, vanitas, contentio. Scilicet cum Patres totam Poloniam repleſſent ſuis Scholis, nullam ſe Scholam habere arbitrati ſunt, niſi vetere Regia, & in hoc regno principe, euerſa, in ſpecula huius vrbis manducũ alicuius collegioli ſuis erigerent. Nec ſatis illis eſt tot ſua habere, niſi alienum Collegium malis artibus occuparent. Charitati ſe ſtudere inquiunt. An non magnum eius exercendæ theatrum, eſt regnum hoc ampliſſimum, cùm charitati plerunq; aliquid minus ſufficiat? Quod ſi ambitioni & vanæ gloriolæ, illi nec Cracouia nec quicquã ſuffecerit. Ad terminum ergo ſcholarũ properant, & caput illis hic erigere conantur. An quia in ſuis iam deſierunt, hîc incipere necquicquam ſperant? Caput Regni eſt Cracouia; Caput ſcholarum Ieſuiticarum decet ibi eſſe. Si deceret Societatem quodcunq; pulchrum & magnum alienum inuadere & inuolare; Deum ego & nomen IESV tremendum teſtor, nullam cauſam nos huic cupidini Patrum præbuiſſe, atque adeo eos aliam nullam habere, quàm inſolentiam ambitionis; quò euaſuram, ille ſcit, qui & eiuſmodi libidinem vindicabit.

cabit. Jam quod ad Protestationem attinet, testis mihi veritas sit, an illi eadem necessitate adacti sint ad famosum calumniosum libellũ contra Vniuersitatem vulgandum, qua Vniuersitas ad Protestationes, quæ scilicet defensionis causâ sunt factæ, & vt Priuilegia Regia, beneficentiaq; domus Iagellonianæ in Academiam conservaretur. Patribus verò defensionem, iure naturali concessam, pro iniuria accipientibus, & contumeliosè differentibus, testor IESUM, charitatem illam, cui abscondita cordis patebunt in die novissima, acerbiùs, contumeliosiùs, magisq; falsè non potuisse ab eis exagitari homines ab Ecclesia rescissos, quàm nos corpus & sanguinem suum, ut iam fidem charitatis in persequendis sectarijs servandam, etiam in admonendis suis amiserint. Tempus hoc scilicet illis visum eiusmodi concertationibus & scandalis oportunum, dum ira Dei in vitia nostra exardescit & sæuit: dum cum bello, fame, & peste pugnamus; mordeamur consumemurq; adinuicem, quotquot à flagellis Dei supersumus. Non ita parentes nostri illi boni, & candidi, qui alter alteri conciliari, noxas dimittere, & orationibus placando furori divino incumbere consueuerant. Dum verò Academia eiusmodi contentionibus & scandalis nullam occasionem dedisse, coram Deo & Angelis eius testatur: videant Patres, ne ibi extremam confusionem ferant, pro gloriola huiusmodi, quam aucupantur.

Vt verò rem, ut est, beneuolo lectori, aperiam; malum hoc odij Societatis in nos effusum est, tùm, quòd rogati ab eis, pompæ Canonizationis S. Ignatii non interfuerimus: tùm quòd clandestinis machinationibus eorum, de inchoando studio Cracouiæ, publicè, palàm & candidè obuiam ierimus. Non interfuimus pompæ (inquam) D. Ignatij rogati ab eis, cùm postmodum solennitati B. Teresiæ magna frequentia adfuissemus. Hoc Patribus dolet; sed eadem opera omnes ciuitatis huius Religiosos Ordines, omnem clerum insectentur, qui rogati iti-

gati itidem, vel nulli, vel rari, ad ornamentum illius triumphi confluxerunt. Qua causa, quo animo, id alij fecerint, non disputo: Academicis pro ratione voluntas satis esse potuit, vbi nulla fuit agendi necessitas. Sancti vestri ornandi erant, inquietis? Ab hac verò officiositate communi omnium consensu & exemplo excusari poteramus. Sed quid si illa Religio noua, res nouas contra Academiam excitabat? Si in illa pompa hamus erat, quem nos in perniciem Scholæ Crac. voraremus? si sub illo pallio pietatis latebat pręsens periculum & pernicies? Nimium imprudentes fuissemus, si artibus vestris jam probè exploratis concessissemus. Dominus illius domus, quam incolitis, anni sunt plus minus quinquaginta, cum non posset obtinere à vicina domo Academica, ut sibi parietem officientem illius lumini erigere liceret; ad artem conversus præfectos vicinæ domus inuitat ad epulum, tractat, retinet, ac dum illi immorantur indulgentes genio, conuocatis vndequaq; fabris cæmentariis, parietem quantum opus fuerat profert, arteq; id, quod iure non poterat, obtinet. Successistis Vos in locum & stratagema, occupatisq; vestræ pompæ sollenitatibus Academicis, nec rei suæ aduigilantibus, parietem nouæ scholæ, contra veterē proferre cogitabatis. Sed vt lector meliùs intelligat, quæ controuersia inter nos & Patres hucusq; fuerit, quæ mater talem filiam, qualis est Protestatio Iesuitica, genuerit, paucis interim attingo.

Elapsis annis, Patres omnibus modis in id incumbebant, capitaq; regni eò inducebant, vt sibi studium Vniuersale Cracouiæ, atq; adeo Academiam, quæ esset in regno princeps, excitare liceret. Multis illi rationibus & modis id obtinere conati sunt, & antequam obtinerent, summa cum fiducia sæpius per totam Poloniam vulgarunt, iam se Collegium Cracouiæ habere, iam eò iuuentutem confluere, Professores tales & tales docendo ibi designatos. Mouit hæc insolentia Academi-

eos, vt conatibus eorum palàm obuiam irent: multa hanc in rem ab illis acta, multùm negotium hoc agitatum apud Illustrissimos Regni huius Senatus principes, Serenissimumq; & Clementissimum Dominum nostrum, oratum ab eis, & supplicatum, ne ouis hæc Regni huius vnica, Collegium Crac. occideretur, & hominibus opulentis, tot Collegijs florentibus in epulum apponeretur; Implorati Diui Manes Proauorum suæ Sacræ Maiestatis, inprimis verò D. Iagellonis, qui post multa ornamēta & prærogatiuas Scholæ huic concessas, dira execratione posteros suos obligauit, ne suam hanc filiam violare & attingere auderent. Fortè eius execrationis, per Patres contemptæ & violatæ, diris totum Regnum affici, cum publicis & priuatis calamitatibus sese explicare non potest, ab eo tempore, à quo Iesuitæ suffodere non cessant religiosa Musarum templa à D. Iagellone fundata. Esse in cœlis locum iustitiæ, esse pietati, eamq; Academiam implorare in terra, pro salute sua & incolumitate, contra libidinem & petulantiam alienam, cui quantumuis plurimum des nunquam satis est, nisi alienum accipiat. Plures se doctos genuisse vnico Collegio triginta, quàm Patres quinquaginta annis, triginta Collegiis; Fidem se appellare illius sæculi verè literati, quod Patres in Poloniam venientes hîc inuenerunt, & à quo meliores sui Ordinis animas, in Academia certè institutas, commodarunt. Suos fœtus esse Hosios, Cromeros, Orichouios, Socolouios, Patricios, contra quos vel vnum his similem à Patribus postulare. Non inuitam se dedisse Societati Herbestos, Grodzicios, Scargas, Laternas, & cæteros, quorum similes hoc æuo degeneres Patrum scholæ nunquam proferent. Scilicet se literas vt immensas tractare, non limitibus, cancellis inclusas vulgò venditare; Vitam duntaxat scientiis dari debere Academicum est: porrò tres, quatuorue annis illas disci, Societatis; Vtq; hoc Patrum, nec perennare posse, & propius excidio literario esse; ita il-

lud

lud Academicum vetus studium, contentionem fouere, ingenia excitare, in summumq; apicem literarium efferre. Multum interesse inter id sapientiæ, quod populare dicimus, mulierculis gratum, & illud solidum, excelsum, paucis & magnis notum, veræq; gloriæ vicinum. At florent duntaxat Patres? Vtinam non efflorescant: Principia omnium rerum sunt ad speciem, sed ex maturitate & soliditate earum vsum æstimari prudentibus. Periculum esse Academiæ factum, & expertam ducentis ampliùs annis virtutem, temerè cum nouitate Patrum commutandam. Testari totum hoc Regnum Academiam, an per ducentos annos rem alicuius expetierit? an rapuerit? an fraudi alicui & nocumento sciens fuerit? an non suũ potiùs amittere & omittere, quàm alienum inuadere, illi potius fuerit? Orasse se Patres, ut sua fælicitate contenti, pauperie Academica abstinerent, exorare nihil potuisse; clàm, palàm, cominùs, eminùs se peti, quietemq; literariam, qua nihil carius, ab hominibus inquietis turbari. Prudentiores & æquiores sibi fuisse maiores illos Patrum; nunc filios pro eis natos homines turbidos, ignorantes, meliùs an deteriùs Societas habebit, si Scholam Cracouiæ erigat, modum cupidini imponere nolle. Ne multis rem agam, Serenissimus Princeps, maioresq; Senatus Poloni, legatis Academicis responderunt; nunquam se in animo habere, vt vetus Schola à Regibus Poloniæ fundata, detrimentum aliquod patiatur, neq; licere Societati Scholam contra Scholam Cracouiæ, altare contra altare, vt vocant, erigere. Hinc iam Patres duo conari obliquè. Alterum, vt sibi docere liceret Cracouiæ sui Ordinis iuuentutem, quomodo Ordines cæteri religiosi docent. Alterum, pollicebantur se daturos operam, vt Academicis Professoribus iungantur, in vnumq; corpus coëant, vnamq; literariam prouinciam efficiant. Vtrumq; horum porrò in exitium scholæ Crac. cudebatur. Nam illud quidem certum erat, Societatem nihil commune cum aliis religionibus in

 docen-

docendo habere; cæteros omnes religiosos suorum causâ profiteri, illos extraneorum; hancq; naturam & sacramentum suæ religioni esse, & hinc, qualiscunq; docendi rimula aperta fuerit, minimè quieturam, sed torrentis instar erupturam, emissarus suis potissimùm nihil iam agentibus, instantibus, magisue sibi obnoxios sollicitantibus, quàm vt occupata Scholis suis Polonia, vrbem Regiam deleta veteri Academia inuadant, jurisq; sui faciant. In Galliam recepta Societas, sub duris conditionibus, quantum illis arctata est, tantum posthabito earum nexu, quiduis in præiudicium Scholæ Parisiensis tentauit, & artibus suis perfecit. Illud verò de vnione cum Academia, multò periculosius erat, si attractis in partem Iesuitarum aliquibus Academicis, communis rei cura & concordia dissolueretur, & res ipsa periret. Qua in parte immanè quantum laboratum à Patribus, submissi homines callidi, simplicitatem fingere docti, artibus mille instructi, qui animos eorum Professorum tentarent, quos artibus suis magis capi posse arbitrati sunt: Nec discrimen habitum, cuius notæ, cuius famæ ij essent, dum Academici dicerentur, & à partibus Iesuitarum starent. Sed meliores probè videbant, nunquam ritè coalitura studia & animos Patrum cum suis, quicquid dicerent, promitterent; Unionem eos agere, non alia, quàm rei suæ augendæ causâ: Alii capiti illos subesse, nec obedientiam sacramento deuinctam valere excutere: vt uni capiti, & Academiæ Rectori pareant, vnamq; functionem faciant. Institutum vtriusq; toto cœlo distare: Academiæ omnia aperta, candida simplicia; illis clausa, cauta, tecta; à Iesuitis omnia agi, tractari, quasiq; omnium negotiorum in vita eos mercaturam agere: Academicos vni rei deuinctos Principum aulas & publica quæq; ab illis: ab Academicis secretum peti & amari. In ipsa Professione literaria, alio fine, alio modo iuuentutem instituì in Scholis Patrum: alio in Academicis. Ignem aquæ potiùs iungendum & Apulis lupis capreas, quàm filios liberæ

cum filiis seruæ, terroriq; debere esse nobis aliarum Academiarum vestigia, quæ potentiæ Iesuiticæ iunctæ societatem illam leoninam expertæ, posteros monent exemplo suo, ne quid simile faciant. Videbant ex his ritè Patres vnionem non successuram, videbant autoritatem publicam eorum votis parum respondere, videbant se Academiam à fronte aggredi non posse; à latere ergo petunt, spargunt passim se studium Philosophicum, Theologicum, certo modo à pompa D. Ignatii inchoare velle. Secretum verò inter illos erat, collegij omnium artium eadem operá fundamenta & auspicia facere, vbi ea de re antea solennis consultatio à Patribus Prouinciæ haberetur. Pro possessione verò, vt vocant, Collegij & studij capienda, disputationem celebrem Theologicam & Philosophicam exhibendam, colore vel conuentus, vel celebritatis Diuorum ornandæ; Academicos ad hæc dormituros, partem eorum conciliandam, partem metu vel amore dissimulaturam commune periculum: Magnam occasionem esse aggrediundæ Academiæ, pallium publicæ lætitiæ, & prætextum Religionis; nil auspicatius Societati posse euenire, quàm si solennitatem Sancti sui Principis, cum auspiciis principis collegij in Regno iungat; alterum alteri præsidio fore, oppugnatores vel metu coërcendos, vel si hiscant, passim impietatis arcessendos. Hæc ita à Patribus destinata, exitum non secundum habuêre; nam pompa Beati Ignatij, cuius Maiestate sua consilia tegebant, non eum applausum, non frequentiam, non studia populi habuit, quæ sperabant: à clero, & ab omnibus Ordibus Religiosis Ciuitatis deserta, vt soli Patres, ijq; perturbati eam efficerent. Iam quoad Academiam; inuitati fuêre Academici ad illam solennitatem, qui cum didicissent, præter communia Patrum cogitata, eos pro vnione cum Academia habituros, & passim vulgaturos, si vel semel in vnam pompam cum Academicis coirent; se in vnum corpus coiuisse: iam Academiam velle Societatem ornare, & vicissim se ab ea ornari po-

ſtulare, iam docendi illis facultatem denegare non valere, quibus ornamentum pompæ dedit, confluxiſſe frequentes, applauſiſſe, & vt dicam id quod res eſt, funeri & exequiis veteris Academiæ neſcientes & dementatos interfuiſſe. Parabatur conuiuium conciliandis animis; fiebant cætera, quæ ad ſpeciem vulgo monſtrarent, Ieſuitas & Academicos iam vnum eſſe. Hæc & alia vbi Academiæ proceres perſpexêre, ſenſêre; quantò magis Patres ambiebant concurſum ſuum, tantò magis illi temperandum ſibi à frequentatione Pompæ & Triumphi illius duxerunt. Pro inſanis quippe feciſſent, ſi ſolennitatem ornaſſent, cui tanquam eſcæ hamus inerat rei Academicæ perdendæ; cum potiſsimùm magna pars vrbis, ſolo odio conatuũ Ieſuiticorum & iniquitatis Patrum in Academiam ſubterfugeret, & ſeſe ſubtraheret à Triumphis illis. Sed enim vos perrexiſtis deſtinata exequi, diſputationem celebrem, alteram Philoſophicam, alteram Theologicam publicatis; ad eas ornandas quoſcunq; poteſtis, accerſitis. Re ad Rectorem Vniuerſitatis delata, habitoq; concilio, deciſum eſt, Proteſtationem contra diſputationes veſtras faciendam, ne illis ſcilicet ius Academicum quoquomodo conuelleretur, Scholaq; vetus detrimentum aliquod acciperet. Summa Proteſtationis erat: Iam pridem vos contra Scholam hanc res nouas moliri, contradictum vobis eſſe, & repugnatum, interceſsiſſe autoritatem magnorum virorum, vt ne quid contra eam tentaretis. Vos nihilominus, neſcitur quo inſtinctu, diſputationes Publicas, quæ iuris Academici ſunt, audere facere, conatus veteres reſumere, Collegium contra Collegium Regium excitare conari. Quæ ſi ita ſint, teſtari ſe autoritatem REgiam, & Summi Pontificis, ad eosq; Academiam prouocare. Hæc ita conſcripta per honoratos Profeſſores, intimata vobis, non diffiteor, perturbatis conſcientiâ malè cogitatorum; & eo, quòd conatus veſtri in publicum producti eſſent, negotiumq; patefactum,

quod

quod vos sine negotio perfecturos arbitrabamini. Intimata Protestatione, Religiosi quotquot ibi erant, & iuuentutis magna pars, vbi vidit disceptationem illam esse, non tam de Capitibus Philosophiæ, quàm Societatis & Academiæ, confestim eam deseruit, solique ij remansére, qui vel ex Scholis vestris ad Pompam confluxerant, vel impediti scabellorum concatenatione, egredi non potuerant. Vos insuper odio habiti, mussitatumque contra artes vestras, qui nihil ageretis, quod non in fraudem & detrimentum aliorum esset. Successit solennitas Canonizationis B. Theresiæ à Patribus Discalceatis celebrata; Deus bone, quo concursu, qua congratulatione, qua frequentia omnium Ordinum ciuitatis? Vniuersus clerus, omnes Religiones, quæcunq; Cracouiæ Collegia sua habent, nihil non exprompserunt, quo charitatem in Religiosos Patres Discalceatos, & deuotionem in Sanctam testarentur. Non pauper, non diues, non ciuis, non aduena omisit quicquam, quo publicam lætitiam profiteretur demonstraretque. Inter cæteros, Academia permultùm pompam illam honestauit, cum iuuentus magno numero ad funalia gestanda sponte conflueret, cum Professores quotquot erant, in venerabilem coronam conuenientes, maiestate Academica deuotionem religiosam exornarent, solaque Academia plus splendoris festo illi adferret, quàm quid vsquam Societati fuit, qui sua solennitate confusi, sine ordine & numero decenti, similiorem tumultui, quàm triumpho pompam egerint. Fremere ad hæc Patres, indignari, posthabitos se & contemptos, religionem nouam studia Ciuitatis in se traxisse, eorumque documentum ibi præstitum, vbi maximè nolebant, exemplo ad hoc magno Academiam fuisse. Scilicet palàm facere Scholam Cracouiensem, se nihil commune cum Societate habere velle, dissensionem apertam & inimicitias profiteri, succumbendum sibi esse in cogitatione Vnionis & concordiæ illius in tantum quæsitæ

cum Academia, si ea cum quouis potiùs iugum ducere, quàm cum Societate societatem vllam habere velit: Odio sui & contemptu negatam D. Ignatio processionem Academicam, concessam D. Theresiæ, idq; tum temporis factum, cum potissimi & principes Societatis Cracouiæ essent, vt non iam cum Iesuitis Cracouiensibus tantùm, sed cum totius Regni inimicitiæ ab Academicis agi videantur. Vtinam aliud theatrum probro illi, quod tulit Societas, datum fuisset, quàm vrbs Regia, in qua (cùm in cæteris ciuitatibus Poloniæ regiè Triumphus Beati Ignatii actus sit) abiectè, sordidè & perturbatè à Societate triumphatum. Ex his disputatio publica iterum constituitur in æde D. Petri, cui solæ mulierculæ Cracouienses adfuerunt, & satellitium nescitur vnde petitum; dicebatur contra Academicos accersitum. De his somniatum & sparsum, quasi ad impediendam disputationem eâ frequentiâ conuenire deberent, qua ad ornandum diem festum B. Theresiæ conuenerant. Iterata Protestatio pacificè & sine vllo turbarum vestigio; dictum Patribus, oratumq; ab eis per charitatem Christianam, per salutem Regum Fundatorum Vniuersitatis, ne quid contra veterē Scholam mouerent. Perfecta nihilominus disputatio, confusis magis eo autoribus technarū (quòd viderent suas calumnias de tumultu, modestiâ Academicâ detectas esse) quàm Protestatione. Quid actum sit postmodum à Patribus, palàm non est nisi id, quod ex Protestatione ipsorum discimus; partu montium natum ridiculum murem, machinationesq; fauore hominum destitutas & desertas, à Deo ipso metu pestis ingruentis dissipatas anno hoc, qui similes præcedenti terroribus bellicis disturbauit. Dij nos tuentur, Dijs pietas nostra & Musa cordi est, nec dubitamus, beatam illam mentem Iagellonis, cum Beato nostro Cantio pro Collegio à se fundato, ornato, quod tot animas Ecclesiæ Christi peperit, fæliciter ad tribunal magnæ iustitiæ postulare & interpel-

terpellare. Quid verò vos Patres? ne in vanum coijsse, & concursum magnorum Planetarum Cracouiæ habuisse videremini, cum non valeretis perficere id, quod esset vestrum, officere voluistis alieno, & commodum vestrum incommodo alterius pensastis. Conficitis igitur Protestationem detestandis contumelijs plenam, ad illam symbola ex illo consilio malignantium quisq; vestrûm pro virili confert; in odium magnorum ac perniciem, si quis vobis credat, rem Academicam inducere cogitatis, sicq; perdere innocentes. De hac ego Protestatione, famoso & contumelioso libello, coram illa cælesti & terrena iustitia sto, ostendoq; vos odio Academiæ excæcatos, non tantùm professionem religionis vestræ, sed & Christianam exuisse, virulentiamq; talem monstrasse, qualis in terra vix reperiri posit. Eius rei ego vos conuincam & reos efficiam; & ne ludere videar, caloreq; aliquid dicere, ad quinquaginta intra calumnias, figmenta, contumelias, vanitates in vna charta Protestationis vestræ (adeò illa diues malæ mercis est) vobis indicabo. Vtinam eo vos meliores & quietiores; Academia verò vestrorum conatuum & machinarum securior efficiatur.

Anno Domini 1622 die Iouis 28 Iulij, Rndus Pater Valentinus Ruscouius Procurator infrascriptus præsentem Protestationem coram me exhibuit, & requisiuit, vt eandem Magnifico Domino Rectori Vniuersitatis intimarem, &c.

Protestationem hanc esse, prorsus falsum est; Contumeliam, calumniam, famosum libellum, agnoscet quicunq; leget. Protestatio quippe, Patres, scitis qualis esse debet, & Procurator eam vestro nomine faciens, non debet ignorare, quid rei, quid iuris in se protestatio continet, ne si quippiam aliud scribatis, vulgetis loco Protestationis, ad talionem vel palinodiam

diam teneamini; quorum alterum vobis non innoxium, alterum non sine probro. Defendendi itaque & conseruandi iuris sui causa permissa est Protestatio, potissimùm patienti iniuriam, idq; calculo vel rabularum forensium; vestro verò iudicio offendendi iuris alieni, calumniandi, fingendi instrumentum Protestatio erit. Et vellemus equidē aliud quidpiam Academicū aggresi fuissetis, quàm famam, honorem admoliremini, quàm criminis accusassetis, tumultus, violationis ædificij Regij, contemptus suæ Maiestatis. Sed vobis nimiùm malis id maximè placuit, quo maximè confici posse Academiam arbitrabamini; nempe illi, ad quos has chartas quoquoversus per Poloniam spargetis, statim habebūt fidem Societati, Academicosq; condemnabūt, violatores pacis publicæ, inuasores ædiū sacrarum, religionis diuinæ & humanæ contemptores. Credent vobis, inquam, hæc ita esse, quæ vos protestando neq; explicare potestis, neq; veritatem ita occultare, quin sese singulis quibusq; verbis prodat. O execrandum animum vestrum; vix Hæreticus ea faciat, vt figmentis, somniis suis nomen Protestationis præfigat. Ego equidem hucusque credebam, si quid diceretis album, album esse: si quid peccatum, peccatum esse; Nunc contrarium sentio, cum famosum libellum Protestationis nomine, contumeliam manifestariam defensionis titulo inscribitis. Reducere vobis in mentem debebatis, calumniatorem, nisi id, quod asserit, deduxerit, in terra ea poena, qua plectendus erat calumniatus; in coelo æterna confusione affici; In vos verò nomen cadere calumniatoris æterni, qui nomen IESV æternum præfertis, etiam cogitatu durum. Patres malos, ait Dominus, filiis suis non dare pro pane lapidem, pro pisce scorpionem; quales iam eritis Vos Patres, qui pro communi Protestationis & querelæ pane, quo vtimur in hac lachrymarum valle, lapidem nobis innocentibus, & pro pisce scorpionem obijcitis? Vellem disceretis ab Academia

(nec pu-

(nec pudere deberet) qua ratione Protestationes à vobis scribendæ sint; videte illam Academicam, reuoluite. Quid ibi falsi? Ipsi veritatem semper agnouistis. Quid iniuriosi? Nunquam offensi estis verbis Protestationis, sed defensione. Quid contumeliosi, calumniosi? adeò nihil, vt hac ipsa protestatione, quum meracissimam virulentiam vndiquaq; conquisitam in Academiam effundatis, nihil tamen dicere possitis de calumnia & cõtumelia vobis illata. Comparemus obsecro vtramq; ex vestigijs protestationis, legat quisq;, animum, modestiam, prudentiam; vel quouis iniquissimo iudice obtinebimus: multa vos ab Academicis discere, multa veræ virtutis & modestiæ exempla capere posse & debere. Quòd si in capitali causa ita officium vestrũ deseruistis; si ita susq;deq; vos habuit cupido, & transversos rapuit vniuersos in vnumq; concilium congregatos; quid in leuioribus facietis? quid à singulis vestrûm expectandum est? Defendendi ergo iuris sui causa Academia Protestationem fecit contra vos, pro iure sacro Regio antiquo, ab annis plus ducentis possesso; Vos quid? Protestatione vestra ita defensionem illam accipitis, vt quæ iure naturali omnibus concessa est, vestro arbitratu hominibus innocentissimis, quos opprimere vultis, eripiatur; ad hancq; rem accersitis figmenta, calumnias, eaque Protestationem, si Diis placet, vocatis. Eadem ego opera lachrymas Crocodili verè lachrymas dixerim, nisi ea causa lachrymetur, vt aliquid deuoret.

2. *Ad perpetuam rei memoriam. &c.*

Naturale calumniæ est, non durare; Vos non solùm calumniari, sed perpetuam memoriam calumniæ extare vultis. Fiet illa æterna non dubito, nullaque ætas obliuioni tradet, vos malis modis Academiam nulla sua culpa aggressos, contumeliis diffamare conatos fuisse. Malum Pontificem olim sacræ literæ aiunt prophetasse; te ego, Ruscoui, illum ferè auguror, cum dicis, perpetuam memoriam fore. Ad omnes ætates ve-

 stræ im-

ſtræ improbitatis æternum monumentum hæc Proteſtatio erit; Societatem Synodo facta falſas criminationes venenataq; commenta in vnum contuliſſe, Vniuerſitatisq; collo necquicquam imponere conatam fuiſſe. Nec vlla marmorea pyramis tantum probri adferet ad poſteritatem veſtro Ordini, quantum hoc literarium monumentum, quod vobis ipſi technis & machinationibus veſtris conſtruxiſtis.

3. *Ad omnem bonum effectum.*

Etiamne bonum effectum, monſtrum hoc Proteſtationis producere poſſe ſperaſſem? Non poteſt malum ſeminium, bonum fructum dare. Vobis ille fortè bonus, quem cupitis, innocentem calumnioſo ore deglubere, rem veſtram augere detrimento alieno. Scilicet inſueuiſtis ſic vexandis hominibus Hæræticis: Licebat. At vbi ij deſunt vobis, ſubtractaque nocendi materia, ad quid, turbando Academiam Catholiciſsimam, cuius pietas toti Orbi perſpecta, fides SEreniſsimis Regibus probata, innocentia toti Regno commendata, bonum effectum ſperatis? Eundem obſeſſores viarum, eundem, qui harpagant aliena, exoptent. At fruſtra benè ſperat, qui malè agit. Veneno hoc morbum inter Academiam & Societatem gliſcentem ſanari poſſe, ignem oleo hoc extingui, rancore & rabie tanta charitatem reſtitui poſſe (cuius reſtitutio veſtri officij erat) figmentis & commentis contumelioſiſsimis pernicioſisque aliquid vos boni obtinere poſſe arbitramini? Intellectus bonus, & iuſtitia facientibus eam; qui verò ponit laqueum pedibus innocentis, incidet in ipſum; Conuertetur dolor mali in caput ipſius, & in verticem eius iniquitas illius deſcendet. Eſt Dei, eſt iuſtitiæ manus in terris, quæ eum effectum, in quem cudiſtis Proteſtationem veſtram, in ſinum veſtrum reijciet: facientes malum conſilium inuoluet illud, nec agnoſcetis, vnde adveniat vobis.

Ad neceſ-

4. *Ad necessarium effectum.*

Ineuitabilis necessitas defendendi sui compulit Societatem ad protestandum, an libido maledicendi ad contumeliam? Vos ipsi iudicate. Necessitas illa hic est, quam dicunt Scholæ, effectum causæ suæ vinculo quodam naturæ inseparabili deuinctum esse. Cantus auem, rugitus leonem, mugitus bouem, hinnitus equum, & singula animantia sua vox prodit; sic protestationis stylus, immodestia, fingendi libertas, ruditatem, petulantiam, impudentiam autoris sui demonstrat. Quòd si ne hoc sufficit, Patres mei; necessarium illum effectum arbitrabor, qui in recessu fati est, qui in manu eius qui præest, ponitq; leges necessitati. Hunc verò effectum non Monarchiæ, non regna, non quiduis in terris excelsum, non schola nostra, non vestra Collegia euitabunt. Sed id duntaxat agere debemus, ne male agendo, meliores opprimendo, contumeliam pauperi faciendo, & abutendo bonis à Deo concessis, superbiam, certissimam interitus indicem, colendo, necessitati illi magnæ fores aperiamus. Fiat de nobis, quodcunque magnus ille necessitatis arbiter voluerit. Quantuli enim homunciones nos Academici sumus? non tanti certè, qui huic Regno pro dignitate commodemus, non potentiam, non magna & supra nos quærimus, ambimus, prædicamus, re nostra tantilla contenti; Et cum omnia fecerimus, quæ nostro officio incumbunt, ignaui & inutiles serui sumus. Quamuis autem tales, pro thesauro innocentiam ducimus, scilicet nec nos nostrum officium deseruisse, nec alienum inuasisse. Qua de re coram hoc amplissimo Regno fronte aperta protestamur, expectamusq; magnum illum necessitatis effectum, securi conscientiæ præsidio, quocunque nobis ille eueniat.

5. *Omni meliori modo quo licet & opus est.*

Formula hæc usitata est. Sed vobis inusitato more procedentibus eo modo aptari potest, quo prætexta viro, quo toga

puero. Ad quid enim dum non eo modo facitis, quo vulgò solet, modis dicendi vtimini vulgaribus? vt pallium nempe vulgare factis minimè popularibus prætendatis. Criminatione conficere Scholam Cracouiensem animus erat pessimâ; ad quid hoc, *Omni meliori modo?* Reponite, Calumniamur, omni deteriori modo. Non latebat vos, id quod tentatis, omni iure vetitum, prohibitum & illicitum esse; Frustra ergo ponitis, *modo quo licet.* Expungite hoc, & restituite, modo quo non licet, necessitate nulla, sed animo conuitiandi. Expressa, bella, illa vestra Protestatio, ad quid adjecistis, Opus illâ fuisse? quinimo dicere debebatis, si boni essetis; inanem, futilem, & superuacaneam illam extitisse: Id nempe quod faciendum erat dicitis, non quod fecistis. Inferam ego ex hoc vestro *Omni meliori modo quo licet & opus est,* hunc modum, quo protestati estis, omnium deterrimum, illicitum, & minimè necessarium fuisse. An verò cum vos aliquid asseritis, totum eius, quod dicitis, contrarium accipiendum est?

6. *Salua & integra charitate sinceræ dilectionis erga Vniuersitatem Cracouiensem. &c.*

Ioab ille libris Regum, cum vellet interimere Amasam, blandè eum in ipsa cæde & sanguine affatus scribitur: Salue mi frater, inquit: Interim eum gladio transuerberat. Idem mihi facere videmini Patres. Quàm dolet Academiæ illud *Sinceræ dilectionis* parum sincerè & per deridiculum adiectum; illam quippe charitatem saluam vultis, quam tanto furore aggredimini & extirpare conamini? Eadem opera saluum dicas, cui toxicum propines; cuius cordi ferrum infigas. Nostri pol sæculi mores egregiè possidetis, vt cui perquam ægrè facere cupiatis, ei blanda verba detis. Securitatem nempe præfari oportebat titulo charitatis, vt faciliùs noxam inopinantibus inferretis. Molliti sunt sermones vestri super oleum, inquit Psaltes. Quid suauius charitate, beneuolentia, sincera dilectione?

ctione? Facies Angeli hæc est, facies hominis. Perge vlteriùs, charitatem in mortem mutatam videbis, & ipsi sunt iacula, facies leonis & draconis; Molliti sunt sermones super oleum. Quid enim tranquillius oleo? sed expecta tantillum, videbis mare acerrimum, impetuosum, in quo naufragium faceret Schola innocens, nisi caueat. Euge ergo, expectamus à vobis argumenta charitatis, & dabimus econtra, vt videat mundus, vter transfugium fecerit à virtute, à cuius vexillo discedere nefas; vter nostrûm Hypocrita dici mereatur; vter corde duplici, lingua perforata? Iurisconsulti eum, qui contumeliam dixit, licet præfationem honoris præmittat, à crimine iniuriarum minimè excusant; plus enim id attendunt quod agitur, quàm quod dicitur, nec protestatio facto contraria quenquam iuuat. Quid fiet coram illo magno tribunali, an hæc labia charitatis in præsidium vobis, an in perditionem erunt?

7. *Quòd hoc anno 1622, mensis Iulii die 13 horis pomeridianis &c.*

Pertexis historiam disputationis Philosophicæ à vobis habitæ, & Protestationis, quam contra illam Academici fecerunt. Hîc trutinemus, quàm verè, quàm candidè, quàm non vanè illius negotii Historiographum agas. Primum itaq; ais. *More in Capitulis Prouincialibus seruari solito ab aliis Ordinibus Regularibus & Monasteriis, in simili Conuentu seu Congregatione nostra Prouinciali, quam nostra Societas statis temporibus habere solet, disputatio Philosophica instituta.*

Hîc sto. More ergo aliorum Religiosorum instituta? quinimmo, ne satis impudens esses bone Protestator, Monâsteriorum? Etiamne vos Monachi, & cum nocere libet, cucullam induitis, eremum crepatis? Sed enim more aliorum Religiosorum. Miror quid vobis commune cum cæteris Religiosis hac in parte, quaq; ratione audeatis ad mores aliorum confugere, cum toto cælo religio vestra hîc ab illis disideat; hocque in-

D primis

primis in votis habeatis, vt non sicut cæteri sitis. Sed quæ ad me non spectant, omitto. Religiosi illi duntaxat in Capitulis disputare solent, qui Studia Generalia habent; quibus ea non sunt, neq; disputatur. Quorsum enim disputatio sine studio, quis propugnabit? quis oppugnabit? quæ causa? quis eventus disputandi? Disputatio ergo reliquis Religiosis argumentum studij, apud vos Collegij & Scholæ esset. Nam ipsi probè scitis, nec ire inficias potestis, nulla vobis Studia Religioni propria esse, quæ non publica, quæ non communia sint. Si ergo disputatio illa Studij argumentum fuit; certè Scholæ, certè Collegij talis, quale vos consuêstis habere. Qua ergo fide sic obliquè rem alienam inuadere, iura Collegij vsurpare audetis? & dum autoritate publica iureq; aperto sanctitatem Academicam afficere non potestis, his cuniculis eam aggredi visum est. Bellum argumentum; Disputant cæteri: nobis ergo licet. Disputant, sed nullâ iniuriâ, nullo periculo nostro, nulla suspicione erigendæ Academiæ nouæ contra veterem. Disputant: gratulamur, ornamus, & ornamur ab eis vicissim. Vestras verò disputationes, tanquam non ea fide, qua decet Religiosos, institutas, tentatas, fugimus, execramur, eisque contradicimus. Subit animum magni Senatoris facetum dictum de his conatibus vestris, dum eos exemplo cæterorum Religiosorum tegitis contra Vniuersitatem. Lupum quondã, inquiebat ille, corniculâ dorso ouis insidente, vellenteque lanam conspectâ, prudentiorem vobis secum dixisse: O si ego facerem idem, quàm tota vicinia in me conclamaretur, conuocaretur. Prudentiorem vobis, inquam, qui dum vultis facere id, quod auis innoxia, cum detrimenro alieno, debebatis scire rem sine contradictione, sine pugna minimè futurã. Religiosi verò illi, quos allegatis hac in re, quàm vobis applausêre, quàm agnouêre vestras disputationes esse suarum similes? Omnes inuitastis, quotquot sunt Cracouiæ; nemo illorum venit,

nit, nedum vt diſputaret, ſed ne aſpiceret quidem nouitatem conatus veſtri. Adeo offendebat integros viros ſpectaculi illius deformitas & perplexitas. Patres Franciſcani ſoli ignari, quid rerum ageretis, primæ diſputationi adfuêre, iique cum blandimentis veſtrorum illecti diſputare promiſiſſent, vbi aduertunt hac re caput Academiæ peti, diſcedere conati ſunt, teſtantes ſe nolle vobis conniuere ita agentibus, vixque veſtrorum ſummis ſupplicationibus detenti, ne actus deſereretur, remanſerunt. Poſteriori Theologicæ, quam vos longè celebriorem & ſplendidiorem apparabatis, dicite quis Religioſorum huius Ciuitatis interfuit etiam tanquam ſpectator? Interfuiſſe autem poterat non nemo, cum circiter mille in ambitu Ciuitatis numerentur, omnesque non tantùm inuitati à vobis, ſed obnixè rogati eſſent. Scit Chriſtus, quia non mentior, & nollem tot dicere, niſi tu adigeres. Sed quorſum ego hæc refuto? Quorſum tu argutaris ſimilitudine aliorum Religioſorum, quæ vobis, quæ nobis, quæ toti Orbi comperta eſt diſsimilima? Niſi fortè eam ad hoc adducas, vt omnes videant, te mala fide, Ruſcoui, cum tuis, cum Academia agere. Quorſum, inquam, ad Religioſos recurris, ſi eadem proteſtatione profiteris, vos Collegium Cracouiæ habere? Non audebas ſcilicet dicere, diſputaſſe vos iure Collegii, & veſtro, quia nullum habetis: ad aliorum ergo exemplum recurris, & dicis, id vos feciſſe, quod nunquam cogitaſtis facere reipſa, niſi vt fucum nobis faceretis & à metu conatuum veſtrorum ſecuros, vt faciliùs opprimeretis. Illud vos rogo, quot anni ſunt vt Cracouiæ agitis? quot Conuentus, Synodos ibi celebraſtis? certè plurimas. Quî factum ergo, illis diſputationibus ornamentum à vobis nunquam adhibitum? Nunc primùm ſcilicet, poſtquam quadraginta annis plus Cracouiæ ſedem habetis, didiciſtis vos diſputationes inſtituere, idque inſtar aliorum Religioſorum facere debere. Sed enim Conuentus veſter apud Sanctum Pe-

ctum Petrum minimè celebrabatur, & negare non poteſtis ad Sanctam Barbaram eum factum; vt quid itaque diſputationes ad Sanctam Barbaram non feciſtis? vt quid eas tranſtuliſtis à loco Conuentus veſtri, ſi ad ornamentum Conuentus inſtitutæ erant?

8. *Diſputatio intra domeſticos parietes habita. &c.* Non pudet vos hæc ita venditare? ſi ornandi Conuentus cauſa habita, non debuit intra domeſticos parietes haberi. Dicite quod res eſt, & quod ſcitis. Priuatim quidem habitam eam caſu quodam & neceſsitate; veſtro autem cogitatu publicè debuiſſe fieri vtramque tàm Philoſophicam, quàm Theologicam in Baſilica D. Petri. Sed cum de Philoſophica aliter vidiſtis diſpoſitum Conſtitutionibus Synodalibus Illuſtriſsimi Domini Epiſcopi Cracouien. cum, inquam, ſerò videretis Conſtitutiones contra conatus veſtros facere; vt cauti eſtis, metuentes ne vna diſputatione & Academiam & Illuſtriſsimum Epiſcopum offenderetis, demum eam in priuatum locum tranſtuliſtis. Verum eſſe quod dico, teſtatur inſcriptio Theſium veſtrarum; lege obſecro, inuenies puto: Diſputabuntur in Baſilica D. Petri Societatis Cracouiæ. I iam, & dic priuatim celebratam, cùm omnes probè ſciamus te id dicere, quod vobis perquam ægrè fuit, qui difficilè hoc conſilium mutaſtis, quique nihil magis in animo voluebatis, quàm vt magis quàm publica illa concertatio foret.

9. Pòſt, *pacificè* (ais) *habitam.* Egregiè ſanè veritas ſeipſam prodit. Pacificè *inquis* habitam, ad diſcrimen poſterioris, ad quam vos per ſummam veſaniam ſatellitium vocaſtis, imò conduxiſtis; cum vertiginoſi aliqui veſtrûm ſpargerent, Academicos vi impedituros diſputationem, ridentibus nugas veſtras Haidonibus accitis, hominibus minimè vafris. Cùm enim iuberentur intrare Eccleſiam, iocabantur ſe contra muſcas & cyniphes, vt eos ab excale-

factorum

factorum Patrum capitibus abigerent, vocari. Pacificè ergo celebrata Philosophica ? laudo. Ad Theologicam vocatum satellitium, minimè laudo; in contumeliam quippe hoc Academiæ faciebatis, vt si vobis defensione tali aduersus eam opus esset. In contumeliam dico; sed cum totus Orbis viderit improbitatem vestram hac in parte, quicquid contumeliæ nobis inferre conati estis, totum id in sinum vestrum redundabit.

10. *In præsentia variorum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Cracouien. &c.*

Puerilis vanitas & nimiùm balbutiens. Varios Canonicos Cathedrales *ais*. Quid hoc verbi est amabo? omnes sunt eiusdem ordinis, tibi videntur varij colore, ætate, studijs. Sed enim varios dixisti, vt qui multos non auderes planè dicere, sed multitudinem vt varietate circumloquereris. Varij ergo illi fuêre quatuor vel quinq;, varij profectò studijs; nam aliqui eorum vestrarum partium vt opinor duo, ijq; non ex animo vestri, sed spei suæ causâ; alij duo, tresue diuersa à vobis sentientes, spectaculi & nouitatis gratiâ conuenêre.

11. *Quidam Professores venêre cum Protestatione scripta. &c.*

Adeò furis, Ruscoui, vt etiam homines tibi probè notos honestè appellare dedigneris. Quidam verò illi tota vrbe sunt noti pro bonis viris, integris, & doctis, & vicini tui quidem; isti, inquam, tales ad quosdam Iesuitas, quos non nouimus, nec vidimus vnquam, inuadentes iura Academiæ, alienamq; professionem sibi vsurpantes.

12. *Cum scripta protestatione venêre.*

Ex his iam pingitis, ô boni Patres, non satis benè, nec ijs coloribus, quibus prædita fuit Protestatio nostra. Quemadmodum qui pupillam flaua bile infectam habent, ijs omnia flaua videntur; qui atra bile, ijs omnia nigra; ita vobis atra bile in

Vniuerſitatem correptis, quicquid ab ea proficiſcitur, atrum videtur. Tuæ Proteſtationis, ita me Deus amet, iſti colores ſunt ipſiſsimi, nec eam vel Apelles meliùs pinxerit, *quàm iniurioſam, multis non veris reſperſam, ius veſtrum in alienam perniciem extendentem.* Vt verò ſingula exequar,

13. *Iniurioſa* Vobis videtur Proteſtatio noſtra.

Non verum eſt. At hoc ita eſſe tu agnoſces Ruſcoui, cum tuis, ſi modò faſtum & tumorem demas, qui te ita loqui compellit. Defenſionis quippe causâ proteſtatio illa intimata vobis. Quòd ſi iam ille, qui iure ſuo vtitur proteſtando, nemini facit iniuriam; multò minùs faciat, qui defendit id quod ſuum eſt, nec moderamen inculpatæ tutelæ excedit. Maiorem ego malitiam & ſuperbiam cogitare non poſſum hac veſtra, qui cum alios inuaditis, premitis, eripitisque aliena; ſi læſus defenſionis iure vtatur, iraſcimini, pro iniuriaque accipitis; quod nemo tyrannorum fecit vnquam, vt ne læſo conqueri liceat, id vultis. Iura ſcholæ vobis vſurpatis, Patres; nos adhæc quid? dicemus nullam iniuriam nobis fieri. Mille concatenatas calumnias contra nos nectitis, neque hîc aliqua iniuria eſt? Falſos rumores per Poloniam ſpargitis, ne hîc quidem mutire debemus? Ad famoſos libellos veſtros, ad proteſtationes infames tacere debemus, ne ſi quid dicamus, id pro iniuria accipiatis vos, quibus omnia quoquo modo agendi à Deo & hominibus libertas data eſt; nobis ad ſolam iniuriam ferendam, patiendumque quodcunque mali inferre libuerit, natis. Quis malùm iniquè iniuriæ rationes & partes inter nos diſpertitus eſt? quis credet bonam matrem omnium noſtrûm naturam omnia nobis iura ſua ſubtraxiſſe, inter quæ primum eſt defenſionis, muſcis etiam & culicibus conceſſum? Vobis verò ea tribuiſſe, quæ nulli vnquam hominum ordini nedum tributa, ſed ne ſomniata quidem. Pudorem veſtrum appello, & demum peto vt diſcatis, naturale eſſe iniuriam faci-

centi, in-

enti iniuriam reddere, calumniam calumniâ, contumeliam contumeliâ, verberibus verbera pensari.

14. *Rebus non veris resperſa*,

Fateor Proteſtationem reſperſam rebus non veris, hoc eſt, à vobis confictis, falſis, quippe eam reſpergitis, dum iniurioſam, falſam, & ius alienum inuadentem dicitis. Vellem copiam illius toti Orbi fieri, vt eam cum hac veſtra conferat, eâdem operâ modeſtiā, candorem, innocentiam Academicam, cum veſtris artibus collatā omnes viderent, agnoſcerēt vt in ſcripto illo, ſic in animis Profeſſorū eſſe nihil maculæ, præter id quod à vobis inſpergitur. Illas verò res non veras, quare non exprōpſiſtis, Patres? Feciſſetis profectò, nam qui ex omnibus falſis veſtram conflaſtis, commentaq; veſtra publicaſtis, non dubitaſſetis, ſi quid falſi in Academica eſſet, potiùs propalare. Qua in re magis & prudentiæ, & conſcientiæ, & fidei veſtræ ſatisfeciſſetis, ſi aliena non verè dicta indicaretis, quàm veſtra manifeſtò non vera & commentitia in publicum efferretis. Gratulor verò mihi, vos veritatem appellaſſe, gaudeo in theatro veritatis vobiſcum verſari; vtinam & vos non dubitetis, Patres, in illud prodire, & periculum cauſæ cum Academia facere, Prouocamus vos, certi, non aliud quàm confuſiouem & opprobrium relaturos.

15. Tandem ais, proteſtationem illam, *iuriſdictionem Vniuerſitatis ad varia, ad quæ eam nunquam habet, eam extendere. &c.*

Miror ego maiorem in modum, in Scripto à Synodo Patrum confecto, pleraque eiuſmodi reperiri inſulſa, imperita, & rudia. Siccine flos ille Collegiorum Societatis eſt doctus? huccné illa vanitas & iactatio eruditionis euadit? En hîc vnum, quod aitis, *Iuriſdictionem ſuam Vniuerſitatem extendere*. Neſcitis quid verbi ſit Iuriſdictio, quantumque à iure differat. Ius

rat. Ius enim ſuum debebatis dicere Vniuerſitatem extendere, non Iuriſdictionem. Vbi enim tribunal erectum? vbi ius dictum? vbi vocatæ partes? vbi ſententia ab Vniuerſitate prolata? vel quid ſimile factum, quod Iuriſdictionem redoleret? Puerum aliquem è vicinia accerſere debebatis, docuiſſet vos, proteſtationem, querelam, appellationem non à ius dicente fieri, ſed à ius petente, neque hæc iuriſdictionem ſuam extendere, ſed alienam reſpicere. Eadem eruditio apparet per vniuerſum corpus Proteſtationis veſtræ, nec plus illius fuit in priori illa Reproteſtatione, quâ ad Scriptum Academicum ante annum reſpondiſtis, puerili, nugis nugaciſsimis referta, faſtus tamen ditiſsima, quam Academici eâdem operâ falſitatis & ignorantiæ condemnarunt, & contempſerunt, reſpondere dedignati, vt vobis relinquerent apud vos opinionem eruditionis, quam nuſpiam aliàs haberetis.

16. *Meritò* Proteſtationem à Patribus tum *non receptam imò reiectam teſtaris.*

Rideo prudentiam, & rerum peritiam veſtram: nihil refert reciperetisne Proteſtationem, annon, dum vobis intimata fuiſſet; vnde imperitiæ illud argumentum haud leue, dum vos excuſatis quaſi à noxa, quia Proteſtationem non recepiſtis. Vtar ego ignorantia veſtra: aſſero, immeritò vos non recepiſſe. Cùm enim Proteſtatio noſtra Sanctiſsimi Domini noſtri, Sereniſsimi Regis, Illuſtriſsimi Epiſcopi nomen appellaret contineretque: in contemptum ſummamque iniuriam horum feciſtis, cum prouocationem ad illos non recepiſtis, quin potiùs abieciſtis, ludibrio habuiſtis nomina, quibus hìc in terris apud nos nihil maius. Ita vos diceretis & vrgeretis impudentèr dicta; qui ex longè leuioribus occaſionibus nos contemptus Regii accuſatis. Sed nos nolumus eſſe ſimiles veſtri, improbi & calumniatores. Concedimus itaque meritò vos reieciſſe ſcriptum, immeritò iuſtitiam. Qua in parte ſi quid Maieſta-

tem Re-

tem Regiam offendiſtis, ſi quid Pontificiam, abſq; eo vt vos in inuidiam adducamus, probè nouerunt ii, quibus dedit Deus honorem in terris, quo pacto illum tueri, & defendere debent.

17. *Religioſi domicilii immunitatem, quietem, & pacem Eccleſiaſticis Canonibus, Summorum Pontificum decretis ac priuilegiis, Regia autoritate ſtabilitam, violatam, perturbatam,*

intimatione Proteſtationis grauiſsimè & vix non cum lachrymis conquereris: vbi nihil non addidiſtis, quo ignorantiam & malignitatem veſtram non exprimeretis. Vnde enim didiciſti immunitatem loci Sacri ſic violari? Ego pol dum omnes Canones, Summiſtas, de immunitate Eccleſiaſtica ſcribentes euoluerem, nuſpiam vidi intimatione Proteſtationis, Appellationis ad Rom. Pon. locum Sacrum Religioſumue violari; eadem opera, quouiſmotu, quouis verbulo contra vos, loci Sacri violarentur, atq; adeo nullus inuiolatus toto terrarum Orbe eſſet, vt querelarum contra vos plena omnia. Sed agite ô boni & docti Patres, vbi illum Canonem legiſtis: Si quis ſiniſtro oculo Ieſuitam aſpexit, excommunicatus eſto: Si quis proteſtatus fuerit contra locum quemcunque Patrum, tanquam violator immunitatis Eccleſiaſticæ pœnas dato? Hos verò Canones ita vobis veros & receptos eſſe credo, vt illud; Neminem ſaluum eſſe poſſe, qui minùs Societati fauet; mulierculis per gynecæa, plebeculæ per compita, pueris per Scholas à vobis decantatum. Qui cœlum verbo clauditis, Seraſque eius ſoluitis, Nos à peccatis omnibus Soluite iuſſu quæſumus. Eiuſdem farinæ erat in pompa veſtra, cum Emblematis pictis proferretis Orbem Polonum cum ipſis Aquilis, & circumſtantes Ieſuitas illum ſuſtinentes: Quæ tabella prudentibus riſum & indignationem mouit. Hoc verò lepidius, & ad ſummam

E petulan-

petulantiam impiamque audaciam propius; B. Ignatium pin-gebant populoque monstrabant, qui totum terrarum Orbem teneret, atque igne ex corde suo orto inflammaret & irradiaret, ex Symbolo Scripturæ: Veni ignem mittere. Scitis nugatorum omnium audacissimi, quid sit ille ignis? nempè Paracletus. Scitis, cui proprium sit illum mittere? Nemo ignorat sensum Doctorum hac in parte, & interprete vix opus est, vbi Christus veritas summa tanquam ius suum hoc dicit esse, ignem mittere. Quærite ex Beato vestro, an sibi hoc vsurpare velit? indignaretur profectò, se adulatione adeò improbâ, & plebem imperitam errore peti. Pietatem prætendetis, scio; Laudo ego omnibus in rebus pietatem, inordinatam tamen, confusam laudare non possum, quia pietas non est. Quis autem iam alicui Sancto simile adfinxit? Hic gladium habet, hic fustem, serram ille; Saluatori Orbis in manus datur, quem igne cælesti regat, inflammet, & nisi à se regi patiatur, æterno comburat. Vobis verò non aliud visum conuenientius Sancto vestro Symbolum, quàm quod Christi esset? non eius profectò, sed vestro ambitu. Eodem profectò studio Christo Saluatori nostro Orbem terrarum, quo Academiæ prærogatiuas, eripitis. Sed satin hoc fuit muscis eiusmodi? quieuêre hîc illorum somnia? Eundem Beatum Ignatium Principi Apostolorum æquarunt, pro dimidiaque parte functionis Pontificiæ, & iuris primatus Dominum voluerunt. Magni meriti fuit apud Deum D. Ignatius; Scio, illud nescio, an Principi Apostolorum æqualis; & suspicarer æqualem esse, metuerem tamen comparationem, quæ omnis odiosa, metuerem id quod Christus Petro dedit præ Apostolis, iudicio meo præ illis alicui dare, & cum Petro commune facere. Vos verò id bello schemate populo Cracouiæ exhibuistis, cum induxistis Deum Patrem iam non soli Petro, sed vnâ cum Ignatio & ex æquo commendantem & vrbem Romam, & ter-

& terrarum Orbem. Christus quidem soli Petro commendauerat; Vos indignè eius sententiam tulistis, prouocastis ad Patrem, & hic, ne Filium & vestrum Ordinem offenderet, Petro quidem non abstulit prærogatiuam, sed eam cum Ignatio communem fecit. Agnoscitis vestras nugas, sub quibus immanis fastus & exitio suo proximus latet? Primatus itaque tuus, Petre, iam non tuus est in solidum, iam non tanti fiet: Partem enim eius Ignatius habet; & quo fidei vinculo adstringimur ad credendum te Principem Ecclesiæ, eodem Ignatium & suos posteros. Multa alia hîc omitto à vobis ridiculè & impudenter excogitata, magnoque cum probro ad vulgus propalata, quæ eo minùs negare potestis, quia non verbis, sed picturis, inscriptionibus, Emblematis constabant, vt res tantò magis populi animis infigeretur. Quid mirum itaque, si Romanæ Sedis hæredes ex semisse, & ex Diuûm Concilio nunc primùm venientes, Canonum condendorum de noua immunitate, quæ Appellatione violaretur, facultatem habeatis? Secundi rerum successus, & fortuna nimiùm blandiens, in elationem animi & petulantiam intolerandam, ex qua hæc somnia proueniunt, vos redegit ignorantes, quàm eâ cautè & reuerentèr vti debeatis. Si ergo violata immunitas domicilij religiosi Protestatione; quid cum hanc vestram Rectori Collegii Academici intimaretis? Non putastis in quoquam vos immunitatem offendisse? nihil priuilegii Academia præ vobis à Sede Apostolica, nihil à Serenissimis Regibus, nihil à Sacris Canonibus habet? Vos omnia cum puluisculo etiam abstulistis. Tædet me vestræ impudentiæ, quam demonstrare nihil opus, indicare & numerare sufficit. Quid ibi loci religiosi habetis, cuius immunitas violaretur? nescimus. Collegium destinastis ad S. Petrum; Scio, habebitis, si habebitis, nunc verò non habetis quicquam. Ecclesia non consecrata gaudet immunitate, locus illi adiacens an gaudeat, non planè

memini. Neque Ecclesiam ergo, neque locum illum ita vestrum esse non potestis dicere, vt non liceat Serenissimo Regi illum alteri cuipiam, qui magis prodesse possit Ecclesiæ & Reipublicæ, tribuere: Vobis potissimùm duos Nobiles in Vrbe occupantibus, tertium non in alium vsum quærentibus, quàm vt Academiam ibi nouam, nec duraturam, in euersionem veteris, & hinc æternam maculam Serenissimæ Domus Iagellonianæ extruatis & excitetis. Qui ergo vobis locus religiosus, qui non vester? eadem opera hospitia Clericorum religiosa & immunia dicentur, & multò magis illo vestro, in quem quis non admissus; pauci dies sunt, annon pueruli insolentes, omnis generis opifices, & in aurificum magno numero, maior pars Hæreticorum, qui malleorum tinnitibus omnem plateam infestam, maximè vicina Professorum Musea faciebant. Parcere nobis debebatis, si nesciebamus locum illum religiosum esse, die 13. Iulii, contra quem tota Ciuitas & nos ipsi conquerebamur paulo antè, quòd omnis generis hominum neque rei, neque fidei, neque virtutis certè plenus esset.

Iam quanta illa, & quàm digna nota, quæ subdis, numeremus.

18. Immunitatem Sacris Canonibus fundatam, Summorum Pontificum decretis, Regia autoritate stabilitam, & alia.

Nempe nouam immunitatem loci, nec prorsus sacri, neq; profani, contra quem tamen nefas protestari. Nugas ego maiores maiori malignitate neminem vnquam nugari audiui. Hic iam similia ruunt impetu quodam, & ardore fingendi, vt fermè fieri assolet iis, qui verecundiæ fines semel transgressi sunt, eos gnauiter oportere esse impudentes. Extergite frontem, si eam habetis, Patres, & recensete id, quod scripsistis.

19. Inchoatam disputationem nulli iniuriosam, nemini preiu-

ni præiudicantem, in iurium & priuilegiorum Vniuersitatis præiudicium non instituimam, &c.

Gauderem si cum rectis & candidis mihi res esset; Sed vos ipsi & aliâs semper, & hac ipsa Protestatione annon contrarium dicitis? annon sentitis diuersum? Nempe in iniuriam Academiæ non instituta, quæ in Collegio, vt tu asseris, nouo, in Facultate principe habita? Lege id quod scripsisti, post aliquot verba, *Domicilii & Collegii S. Petri.* Inferiùs autem (ex illa ipsa schola hederam pendentem, qua iuuentus conuocaretur, cum abstractam indignaris) ais; *à portis dicti Collegii theses auulsas.* Quinimo paulo pòst, eidem Scholæ Rectorem tribuis Reuerendum. Vt iam vel hinc te improbè fingere, vel in Protestatione falsum dicere aliquoties oporteat. Habetis Collegium, habetis disputationem, quid vobis reliqui ad Academiam habendam? Concursum iuuentutis facere conamini, quamuis irrito nixu, quod vobis cor odio sauciat. Rectorem Scholæ nescio quem vobis finxistis, quid vultis vlterius? non iniuriosa nobis Disputatio? non iniuriosum Collegiũ? nõ iniuriosus Rector? aufertis Collegium Disputationum iura vsurpatis, iuuentutẽ abstrahitis, scholã contra scholam manifestè erigitis, disputationes contra disputationẽ, iuuentutẽ contra iuuentutẽ; Nos tamen adeo bardos & fungos arbitramini, vt non sentiamus, quid nobiscum agatur? Et si protestemur iniuriam factam nobis, accusamur tanquam capitalis facinoris. Nempe non debemus sentire, quantum intersit totam Academiam nos habere, an eius angulum, qualem nobis Patribus dare libuerit? Neque capiemus, dum Priuilegiorum nostrorum maior pars & potior nobis eripietur? dum in Ciuitate Regia successores nobis in prærogatiuis Academiæ dabuntur? Cumque cum nouis Academicis non ad otium literarium, sed ad pugnas vitam ducemus? relictaque veteri simplicitate &

tate & virtute, artibus nouis contra eos nos fingere, formare & armare debebimus? En quomodo disputatio vestra in præiudicium Academiæ instituta non est? Illud quod asseris, eam *consuetudini* aliorum *Religiosorum conformem*, refutatione iterata non habet opus. Pudorem tamen appello tuum, Ruscoui, quòd geminare pro vero audeas, non solùm rem falsam, sed quæ etiam vestram malam fidem arguit, & ad amussim repræsentat. Vulgatum est, omnem similitudinem claudicare; hæc verò similitudo vestri ad alios Ordines, tùm primùm nata, cùm nocere vultis, in vtrumque pedem clauda est; & dum vos illi canabinos pedes subditis, nihil agitis, quàm risum popularem & fabulam. Vulpecula Æsopi, cum videret mulieres gallinam edentes, pari similitudine vsa, asserebat sibi idem licere; pari similitudine, inquam. Vt enim cibus perinde gallina mulieribus, ac vulpeculæ; ita vobis eodem modo est disputatio, ac Religiosis cæteris, eadem materia, idem modus; sed ius, sed intentio, candor, innocentia, cœlo, terra & mari differens.

21. *Disputationem in Priuilegiis Sedis Apostolicæ fundatam, & menti Illustrißimi Domini Episcopi Cracouiensis Academiæ Cancellarii conformem.*

Prorsus blatis quod edisserere & probare nunquam poteris. Disputationem illam vestram apud Sanctum Petrum habitam Summus Pontifex suis priuilegiis comprobauit, & quidem singularibus: vt quid ea non exhibuistis? cur non publicastis? Appellassemus ab eis, vsi fuissemus remediis iuris. Sed quid ego tecum, qui nugatorum omnium princeps meritò clues? an ius disputandi, docendi, erigendæ Scholæ dedit vobis Pontifex? Hoc verò nostrum ius, nobis non vocatis, quod ab omnibus aliis Pontificibus habemus, minimi fecit, qui in prima parte iustitiæ reponit, Ius suum nemini tollere? Et quantumuis vos vel Acheronta moueatis, nunquam

euinca-

euincatis, vt Sedes, quæ Sanctitatis & Iustitiæ in terris est princeps, rem, prærogatiuam, ius alienum, sine causa alia, quàm vt vobis gratum faciat, auferat.

Illustrißimi Episcopi menti conformem ais. Quid hoc verbi est, te obsecro? Inspexistis intus & in corde, quid mentis Illustrissimo esset? Vos scitis, quid Iuppiter Iunoni in aurem dixit. Vos scrutamini corda Pontificum, Principum, Episcoporum, & gnari quod cuique menti sit, in publicum profertis secreta, contrà quàm omnes sciant. Quæ verò illa mens Illustrissimi Episcopi? procul dubio officii, dignitatis, iustitiæ, & honoris sui & Academici tenax & amans; nec aliam vnquam Schola hæc experta est in se, quàm propensam & sinceram. Nec nos fugit, quantum vos in illa mente mutanda adlaborastis, & quantum ille pro iustitia & veritate fortem & virum se exhibuit; memor institutionis in hac Schola habitæ, memor Collegiorum vestrorum plena esse omnia ad fastidium & importunitatem, eaque Luna mutabiliora momento augeri & decrescere. Academiam Cracouiensem Regiam, magnam, sui semper similem, vnicum Diœcesis suæ atque adeo totius Regni ornamentum & gemmulam esse. Quid vos itaque malùm nugamini? mentem illam in abdito aliud sentire de nobis, & vobis, quàm quod monstret foris? Qui geminam pupillam oculi habent, eis omnia videntur duplicia; Vobis gemino corde hominibus, duplici mente & animo, tam Romanus Pontifex, quàm Illustrissimus Episcopus videtur. Sed parcite, potiùs vos falsum dicere, quàm rem ita esse, vti dicitis, credimus.

Sequitur virulentia ipsissima. Vidi ego Emblematis vestris depictum Cacodæmonē à Patribus circumdatum, ore flāmas hiantem, & Patres cum eo nescio quid contentionis habentes.. Iam mihi venit in mentem, succubuisse eos in certamine, & spiritu eius, qui à principio mundi fuit Calumniator, affla-

tor, afflatos, iſta vomere.

22. *Proteſtationem Academicam præſetuliſſe contemptum Apoſtolicæ Sedis & Regiæ, &c.*

Illi illi mihi videmini falſi teſtes, qui contra Chriſtum quondam ſtetêre, & eum templo maledixiſſe, & Cæſari tributa dare vetuiſſe aſſeruêre; Vos verò impudentiores, qui manifeſtum contemptũ manifeſtè falſò & impiè comminiſcimini. Sub qua arbore vidiſtis, Patres, & Seniores Iſraël, Suſannam hanc Academiã Crac. rem habuiſſe cum contemptu Pontificis cum contemptu S. R. Maie. atq; fædo ſe adulterio maculaſſe? alias, ecce Angelus Domini ſtat, qui vos ſecet per dimidium. Eia verò expromite vel vllum verbum ex illa proteſtatione, quod vel obliquè hunc contemptum præſeferat? ſi non habetis, quo nos conuincatis, vt quid rem tam atrocem comminiſcimini? Scio equidem Regnum hoc amplisſimum moris Academici ſatis gnarum, non requirere à nobis defenſionem, ſufficereque illi, ſi dicamus, Patres falſa contra innocentem Academiam comminiſci. Sed tamen adeo à contemptus illius ſuſpicione abfuit proteſtando, vt non tantùm Regem & Pontificem, ſed ipſos Ieſuitas peſsimè de ſe meritos, honorificè nominarit. Lege Ruſcoui proteſtationem, ſi intelligis id quod legis, reperies eam conditionatam fuiſſe; *Si & in quantum præiudicium inferret Academiæ veſtra diſputatio, proteſtamur.* Quid hîc læſi eſtis, niſi lædere cogitabatis? quorſum indignatio tanta, furor & ardor criminandi, ſi offendere nolebatis diſputatione? ablata conditione, euaneſcebat proteſtatio. Sed conſcientia veſtra tenere non potuit ſecretum, conditionem illam ipſam oppugnatis, euertitis, tueminiq; iniuriam, cuius auertendæ cauſa à nobis proteſtati ſumus, & iam huc S. nomen Pontificis accerſitis: vt ſi ille cupiditatem veſtram tueri, inſolentiam promouere cogitet, & ſe contemptum ſtatim exiſtimet, ſi quis vos perperam agentes accuſet. Contemptus eſt

Pontifex?

Pontifex? Fateor, sed à vobis, qui venerandam eius Maiestatem, ad tegendam vestram insolentiam adducitis. De Academiæ submissione securus est; plus enim ducenti anni testantur, eam ne latum quidem vnguem à diuina illa & suspicienda Romanæ Sedis Maiestate discessisse, testantur literæ & diplomata Summorum Pontificum, testatur res ipsa. Cum enim in hoc Septentrione aliæ Academiæ desciuissent à fide & obedientia Ecclesiæ Romanæ; hic ne suspicio quidem mali comperta, quin potiùs tenacissimè & feruidissimè, non solùm seipsam, sed totum hoc Regnum, quoad fieri potuit, in obsequio Romanæ Sedis continuit. Non est opus vt hæc repetam, siquidem res ipsa conuincit falsi protestatores nostros. Legite sub finem protestationem Academicam, & excutite temetum, quo laboratis: *In & contra disputationes huiusmodi protestor. &c. & appello ad Sanctissimum Dominum nostrum Gregorium, diuina prouidentia &c. Sedemq́ eius Apostolicam, submittens me protectioni eiusdem. &c.* Quid iam ad hæc? idem vobis contemptus quod submissio, quod appellatio? annon vos potiùs contemptores illius Sedis, qui eruditissimè asseritis, hac ratione quoties appellatur Romanus Pontifex, toties eum contēptu & contumelia affici? Quem volebatis alium appellassemus? nisi fortè id agatis, vt ne contra facta vestra prouocare & appellare ad quenquam liceat. De contemptu Sacræ Regiæ Maiestatis non habeo quod dicam; res enim est ob oculos totius huius Regni, & Sacra sua Regia Maiestas pro diuina sua prudentia probè nouit, quo animo id à vobis scribatur. Non contemptum cogitatis scilicet, sed rem vestram. Et cuiusmodi nos homines sumus, qui contemnere audeamus nomen Regium? cuius potentiæ, ambitionis, cuius factionis? Testis nobis Deus, testis tota Polonia, testes beatæ illæ animæ Serenissimorum suæ Maiestatis Maiorum; Nos nihil vnquam potius in sapientia humana ducere innocentiâ & candore; Superbiâ,

 contem-

contemptu nedum S. R. M. sed ne cuiuspiam alterius, nihil magis exitiosum putare. Ad nomen Regium tanquam cœleste, ita mouemur, vt moueri par est ad nomen eius, qui loco Dei in terris est, qui imaginem Regis cœlestis in terris præsefert. Si æquè vanus essem vt tu, referrem solennes Supplicationes, quæ pro sua Maiest. Serenissima Coniuge, & prole Regia, pro animabus Serenis. Benefa. nostrorum crebrò, candidè, & sincerè instituimus: referrem annò præcedenti institutum Oratorium iuuentutis Academicæ, quod vobis oculos effodit, cuius prima cura est, vt innocentes pueri orent, & tantò faciliùs exorent, quia innocentes, pro Maiestate sua, & quicquid eam propè attingit. Hic noster contemptus est scilicet Patres; Deum primo loco habere & venerari: secundo Maiestatem suam: quod tantò nos candidiùs aliquis facere meritò dicat, quia his annis, quibus fœlicissimè Maiestas Sua huic Regno præest, nihil postulauimus adeò magni, nihil petiimus; & dato vno non perreximus libidine habendi, & importunitate petendi, liberalitatem Suæ Maiestatis fatigare. Id verò nobis in contemptus parte si imputatis? parcite: nouimus quid nos deceat, nouimus quid securitatem nostram; scimus quàm tædiosa sit res postulatio & petitio aulica, quàm inuidiosa rei petitæ consequutio. Sufficere arbitramur nobis paupertatem nostram; quæ si inuidos vestros oculos concitauit, quid fieret, si rem paulò lautiorem haberemus? Gaudete vos itaque, fruimini illa aura aulica; Nos priuatum & angustum decet, qui à Patribus accepimus, non cuiuis conuenire in luce illa Maiestatis Regiæ versari. Quid autem ego vobiscum de contemptu Regum? dicite, an est quis à maximo ad minimum in hoc Regno, qui nesciat, quomodo à vobis tractentur nomina, diademata, imò corpora Regum? & vos tales audetis cum Academia innocentissima contendere de honore Regio? Debebatis scire antiquum illud; quamuis plerunque Principi delatio sit grata, delatorem tamen semper odiosum esse & suspectum, id-

queeò magis, si criminis eius notam habet, cuius alterum insimulat. Literæ Sacræ testantur, Doëg Idumæum falsò accusasse Achimelech & Sacerdotes rebellionis contra Saulem; obtinuit calumnia apud impium Regem; innocentes cæsi sunt. Quid postmodùm? Calumniatoris filius, teste Hieronymo, infert manus eidem Regi, detrahit diadema, & quod pater falsò confinxerat Sacerdotes innocentes fecisse, id malus filius verè præstitit. Defendet nos Deus, non dubitamus, ab huiusmodi delatoribus, contra quos clypeo Dauidico vti possumus: audi Ruscoui cum tuis, qui gloriaris in malitia, & potens es in iniquitate. Iudicet vos Deus, si iustitiam cogitauit lingua vestra, annon potiùs sicut nouacula acuta fecistis dolum? annon Academiam succidere conati estis, contemptum ei duorum magnorum in terra, Pontificis & Regis, obijciendo? Dilexistis malitiam, iniquitatem, quâ nos conficere arbitrabamini, quàm loqui æquitatem, quæ vobis ob oculos fuit, luceque ista lucidior. Dilexistis verba præcipitationis linguæ dolosæ, cum nos in fastigium Maiestatis Regiæ & Pontificiæ deducitis, indeque contemptum obijcientes præcipites datis. Sic Psaltes Regius contra Doëg; Sic Academia contra vos eodem periculo, eodem casu. Vlteriùs autem: Deus destruat vos, & euellat de tabernaculo suo, qui speratis in multitudine diuitiarum vestrarum, & præualuistis in vanitate vestra. Academia autem sicut oliua fructifera in Domo Domini florebit, quia sperauit in misericordia Dei sui.

A contemptu ficto venisti ad iniuriam commentitiam,

23. *Cum iniuria*, inquis, *Sacri domicilii, & Collegii S. Petri, à Serenissimo Rege Domino Nostro, Patribus Societatis in Vrbe hac, in Ecclesiæ & Reipublicæ bonum fundati & erecti.*

Noua prorsus hæc res & inaudita nobis, Collegium Pa-

trum Cracouiæ fundatum à Serenissimo Domino nostro; non tantùm inaudita sed incredibilis, miramurque vos audere id suæ Maiestati imponere, quod purum & putum somnium vestrum est. Historiæ Sacræ aiunt, fratres septem persecutionem fugientes spelunca vna occlusos, aliquot annis dormiisse; simile quippiam euenit in Polonia. Patres enim plures, quàm quater vel quinquies mille, rerum successu lasciuientes, multis annis vigilando somniant, & pro vero asserunt, se Collegium Cracouiense à sua Maiestate erectum habere. Vladislaus Iagello ingenti solicitudine & cura summaq; liberalitate erexit Cracouiæ Vniuersitatem omnium scientiarum; Eandem posteri Reges, quisque sanctam eius voluntatem prosequuti, multis prærogatiuis cumularunt, tanquam vnicam filiam in deliciis habuerunt, tutati sunt. Magna enim execratione deuinxit D. Iagello posteros Principes, ne quid contra Scholam à se fundatam mouerent. Idemipse Serenissimus Dominus noster paucis antè annis omnia priuilegia Vniuersitatis perpetua Regni Constitutione sanxit: & cum didicisset, vos Scholam moliri, seuerissimè pro sua Regia autoritate interdixit. Hæcque omnia vera sunt, non in somniis acta; Vos tamen quid malum impudentèr iactatis Collegium vobis erectum, vt destrueretur vetus, desereretur, in nihilum redigeretur artibus vestris? Verbis Scripturæ vtar. Sit in habitationem erinacei, noctuæ, & vespertilionis. Vestris artibus, inquam. Quàm enim proiectè, quàm miris modis solicitare iuuentutem scitis, non vt eam doctiorem sed vt vestra Collegia frequentiora ad speciem faciatis, non dicam ad præsens. Videlicet desiit esse Collegium Iagellonianum, quod nudiustertius Professoribus plus octoginta constans, quorum infimus cum optimo vestrûm comparari posset, si phaleras demas, limis oculis aspiciebatis; desiit esse, inquam, vt vestro Cracouiæ opus sit? Parum vobis est repleuisse hoc Regnum nuga-

mentis

mentis Scholarum vestrarum, vt etiam Vrbem Regiam eiusdem vanitatis contagione afficere cupiatis? Illi, qui sapiunt, profectò & gnari sunt rerum sæculi veteris iuxtà ac nostri, minoris Collegia illa vestra æstimant, quàm Scholas olim oppidorum ab Academicis Præceptoribus habitas, ex quibus, Dij boni, quàm magni viri, quàm admirandi prodiêre! Scilicet erant tum temporis in precio literæ, amabantur, colebantur, maiestatem suam retinebant: veræ enim erant & sine fuco. Nunc postquam vanitate vestra coinquinatæ sunt, postquam in angustum loci & temporis redactæ, postquam discipulos precariò quæritis, postquam eruditionem mulierocularum auriculis & cuiusuis de plebe commodatis, postquam sine quæstu rei faciendæ docetis; desiêre literæ, desiit eruditio, species virtutis pro re est, fucus pro veritate. Quid ergo iam vos obsecro tam magni in Vrbem Regiam inferetis, si Scholam, qualis Sandomiriæ, Duclæ & Rauæ est vestra, inferatis? quo enim illa fabula Cracouiensis Collegii à cæteris vestris differet, quam iidem Mimi, iidem agent Pantolabi? eadem methodo, eadem ratione, eadem arte conuocandæ iuuentutis per imagunculas, per solicitationem matrum, per cantilationem calumniatoriam de Academia, quâ vos res vestras stare arbitramini. Iidem, inquam, agent rudes, iuuenculi, vnius Scholæ discipuli, alterius Magistri, audaciam hinc pro sapientia venditantes, tragœdiolas, declamationes, versiculos ab aliis ante triginta annos scriptos pro suis venditantes, & rudi popello in scena exhibentes. Nam quod probrum fuit maioribus nostris, ingenuos pueros scenæ ludicris contaminari; id vobis honori & laudi, si Diis placet, ducitur. Putatis nempe, Patres, Poloniam ignorare, vos, cùm per totum Regnum habeatis annui reditus plus quadringentis millibus, tanto sumptu tamque insano Oratorem nullum, Historici Politici ne vmbram quidem, Semitheologastros Scholasticos aliquot, Philosophum sesqui-

alterum, qui non dicere sed dictare duntaxat scit, habere? Sub horum verò vexillis & pallio aliquot millium gregem solis factionibus, practicis, captandis animis muliercularum, re augenda versari, melioresque se inquietare? Interim vt si ignari essemus moris vestri & virtutis, duo vertiginosi vestrûm per summam amentiam Academiam Veterem & Augustam perinde prosternere & Scholis exuere facile putant, ac Magistrum aliquem Scholâ Rauensi vel Duclensi propellere, Collegiumq; tale excitare suum, quale hîc ad S. Mariam, ad S. Ioannem est? Nempe non esset illud, Basilicam Regiam fœdare ineptiis Scholæ, vt scilicet pueri Ecclesiam frequentiorem reddãt, & nomina sua in marmore sculpant Regio, vt pedore pulueris Scholastici repleatur ædificium non ad hos vsus factum, vt ex Basilica delubrum, & Ecclesia Regia hypodidascalium fiat? Nam vt pro dignitate Collegium aliquod excitetis, Patres, nimiùm falsum est: quod enim ex nouioribus vestris bonum? quod simile illis primis, quorum coloni ex Academiæ gremio prodiêre, viri gnaui, laboris & paupertatis patientes, solum honorem Dei & bonum Ecclesiæ quærentes? Nunc verò nimiùm degenerastis, nimiùm saturati estis, nimiùm vos rerum omnium copiâ fortuna blandiens implicuit; plus commodorum, voluptatum & rei habetis, quàm vt ad duram discendi primùm, demum docendi prouinciam pistrinumque redigi valeatis. Colore solo falleris, & eo, quia nos calumniamini apud malè credulos, non putetis vos diu posse subsistere: color color est, quouis vento facilè mutatur, alteratur, alienæ plumæ facilè excident, mouebitque aliquando cornicula risum. Serenissimus certè Princeps eius prudentiæ est, quâ nouit, quid de vestris studiis, quid de viribus, quid de conatibus sentiendum sit, quid iuri, quid impotentiæ alienæ concedendum. Sed quousque ego hæc? expergiscimini itaque, & sentire incipite, vos Collegium Cracouiæ nullum habere, ni-

bere, nisi fortè illud, de quo olim Psaltes: Beatum esse, qui non fuit in collegio malorum, qui in cathedra calumniæ & contumeliæ non sedit.

24. *In bonum Ecclesiæ & Reipublicæ erectum* ais *Collegium* Vobis.

Gratulor sanè. Polona verò Respublica benè habuit hucusque sine vestra Schola Cracouiæ, & benè habebit, nisi aliam Rempublicam vobis imaginemini, cui aliquo modo benè esse posit à Collegio vestro. Quo verò illa ipsa Respublica Polona meliùs habuit, dum vos implestis eam Collegiis? quo plures ei doctos dedistis? imò quo plures verè pios? Nam extirpatio Hæresium Serenissimæ Suæ Maiestatis Pietati & Religioni debetur; vt vos gnauiter impudentes esse oporteat, dum eam vobis vendicatis, dum instar muscæ quadrigæ insidentis creditis à vobis illum motum & puluerem excitatum esse: nisi quid turbarum fortè à vestris datum sit abutentibus plerunque iis rebus, quibus boni nonnisi in bonum vti norunt. Vos ergo meliùs habere auctis Collegiorum vestrorum prouentibus minimè dubito; Rempublicam auctiorem factam, nego. De Ecclesia non dicam hîc apud nos: videmini enim esse instar prodigorum hoc tempore, qui cum nemini prodesse posint, tum sibi minimè commodant: videmini, inquam, mihi, nedum Ecclesiæ, sed ne Religioni quidem vestræ doctos præstare. Ante aliquot annos contra vos vulgò agitatum: meliora quæque ingenia à vobis in Religionem abripi, deseri Rempublicam, parentes filiis destitui. Nunc illos ipsos, quos vobis conciliatis, tales institutione vestra fecistis, quales vobis nemo inuideat, nemo abreptos in Societatem conqueratur. Academicis enim illis floruistis; vestræ institutionis subiecta quamuis delecta in re seria quid seriò præstent, videmus: vt, è quibus magni Senatores esse possent, si in Academia instituti essent, ex iis vos in Religionem pellectis

mediocres Iesuitas habeatis; ingentis familiæ nomine velantes tenuitatem suam, & audaciam vestram. Ne autem inanias vobis, Patres, dicere videar, conferte Ordinem vestrum totum quantus quantus est, quiq; tanto constat non adeo diuiti Poloniæ, cum Ordine Prædicatorum, Minorum Bernardinorum, quantò plures doctos illi habent, quàm feruentes, solidos, vtpote vni rei intentos, præclaros Concionatores, Theologos, Philosophos: conferte vobiscum & cum eruditis viris illos humiles, de quibus nihil sentimus nisi magni & boni, qui à paucis annis quasi successores dati insolentiæ vestræ; quod vos deteriore odore infecistis, illi suauitate vnguenti bonæ conuersationis, innocentiæ, humilitatis corrigunt & replent: illos inquam, quorum reformatrix fœmina cum vestro autore Canonizata, quos nec aspicere ipsi, nec intuitũ eorum ferre valetis. Vos tamen soli scilicet Ecclesiæ & Reipublicæ nati estis, qui nihil minùs vnquam cogitastis, quàm his prodesse. Dum verò cum eiusmodi iactatione in Academiam ruitis, videre debebatis, ne vetus Schola, cuius merita erga Ecclesiam & Rempublicam præclara omnibus nota sunt, fiat vobis lapis offensionis: metuere debebatis, ne illa sagina, quam cogitatis Cracouiæ instituere aliquot semimagistellorum, Coadiutorum, & Paterculorum gregis iusti sagina esse, & non Collegium detegatur; nullumque bonum aliud proferre, quàm vt contentionem vestram, si quam habetis, resoluat, prorsusque vos in desidiam, quâ non caretis, abijciat. Vellem ego aliquot verbis dicere, quantum Academia nostra boni Ecclesiæ, quantum Reipublicæ præstitit; sed pauperis est numerare pecus. Per totum hoc Regnum amplissimum non reperietis Ecclesiam, non Senatorium subsellium, non vllius Magistratus speciem, in quo non floreat institutio Academica: periculosaq; commutatio foret cùm re, quam vos nunquam præstitistis, nec præstabitis, certæ & expertæ virtutis, fœcunditatis Scholæ Cracouiensis.

25. *Hinc*

25. *Hinc occasionem datam tumultus & seditionis comminisceris.*

Quod vnde exculpseris prorsus ignoro, nisi è cerebro tuo. Putas te Lublini versari, Vilnæ, Posnaniæ, vel alibi, ubi Collegium habetis, ubique ex qualibet occasione leuissima tumultus luctuosi & periculosi oriuntur? Cracouiæ ego non dubito datam occasionem tumultus à vobis, si per vires licuisset, vel si à nobis acceptata fuisset. Non primum verò hoc est inuentum vestrum, neque nouum. Anni sunt elapsi sex, cum Posnaniæ nulla adhuc Schola, nulla iuuentus Academica esset; vestriq; Synagogam Sectariorum demoliti essent & combussissent: sparsistis id ab Academicis Studiosis factum, ab iis, inquam, quorum ne vnus quidem Posnaniæ fuit. Tam estis exacti comminiscendi & fingendi artifices. Hem verò *tumultibus sanguinariis etiam causam datam.* Quicquid vos sanguinarii cogitetis & crepetis, nobis cum sanguine nihil nec fuit nec erit vnquam.

26. *Non contenti hoc Academici per Magistrum & Sapientem, vt vocant, Vniuersitatis voce alta excessionem iuuentuti à disputatione mandarunt.*

Hoc tu crimen vrges pro magno, nec tamen ita rem describis, vt fuit. Facta autem sic. Bedellus Vniuersitatis homo facetus, senex, nec aliàs magnæ autoritatis, nullius certè mandato, sed vt vel risui causam daret, vel vt aliquid de suo Protestationi Academicæ adiecisse videretur, Vir simplex & minimè malus, dixit iuuentuti Academicæ, vt disputatione excederet. Ex musca hac quantum elephantem fecistis? Primùm Sapientem illum producitis, vt si ex illis septem Græciæ octauus esset. Inprimis enim aitis Magistrum quendam Philosophiæ submissum, qui iuuentutem euocaret: demum cum Philosophus ille nihil valeret iubendo, Sapientem submissum, abitionem Studi-

 osis Aca-

osis Academicis imperasse. Nostris ædibus ille Sapiens nugari solet & fabellas narrare; hunc salutare, illi silentium imponere; nec indignè vnquam ferimus. Vos quia verbulum, dixit, vti delicati estis, offendimini? Vellem faciem hominis hîc, vellem vocem, vellem mores ad risum factos depingere; vt quisque vos adeò tetricos agnoscat, qui ab illo dictis iocosis offendamini, cuius amœnitate magni Senatores plerunque in Actibus publicis delectantur.

27. Sed verò *excessionem* Imperator ille histricus & Thales imperauit, & quidem *nomine Rectoris sub pœna Excommunicationis*;

Sub pœna Proscriptionis seu Exclusionis à Schola debebas dicere. Sed esto & seriò imperasset, & sub censuris imperasset. Tu Ruscoui, solis fabris cæmentariis insuetus, tantum audaciæ habes, vt hîc dicas Rectorem Vniuersitatis excommunicandi facultatem non habere? Sed quia nomine omnium, qui symbola ad Protestationem contulerunt, loqueris, ignosco tibi ea lege, vt tuis mandatoribus & principalibus, hoc est, Patribus Societatis, qui hæc dictarunt, dicas; Imperitè eos & malignè hoc asserere, debereque aliquando ignorantiam suam & malitiam cum probro agnoscere. Malitiosè dico. Nam quid ad Patres Societatis attinet, an Rector Academiæ Crac. habeat facultatem excommunicandi, an non? quid ad præsentem Protestationem? An non est aliquis, cuius iurisdictionis est excommunicare, qui ducentis annis in hunc errorem non aduertisset? Sed postquam in calumniam omnem effusi sunt, quicquid eis in mentem venit veri falsi, ad propositum sine proposito, totum in miseram chartam contra Academiam effudêre. Malitiosè, dico, fecerunt; eo enim animo iampridem de iurisdictione Rectoria mussitant, vt obsequium Rectoribus iuramento à iuuentute adstrictum abrumpant, negotiumq;

hoc pa-

hoc pacto Magiſtratui Academico faceſſant, & ſolutam legibus iuuentutem faciliùs in caſſes ſuos trahant. Quis iam cogitare poteſt, quàm malè exuto ſua autoritate Magiſtratu feneſtra inſolentiæ, ſeditionis iuuenibus aperiatur? Quamuis itaq; Rector non habuiſſet illam autoritatem, vos id propalare minimè deberetis, ne quid hinc deterius ſequeretur, & vt veſtra vitia veſtroſq; errores taceri à nobis cupitis. Quàm verò imperitè & impudenter hac in parte Rectori detrahatis, ipſimet agnoſcite. Iuriſdictionem ſpiritualem qui à Rom. Pontifice habet, vel Epiſcopo loci, eum excommunicandi facultatem habere ſciunt, qui elementa Caſuum Conſcientiæ diſcunt. Rectorem verò Cracouienſis Scholæ ea iuriſdictione præditum eſſe, dum Spiritualis perſona ſit, nemo huc vſq; dubitauit, nemo ignorauit præter vos, ſcilicet indignè ferentes haberi id à Rectoribus Academiæ, quod vos in Collegijs veſtris minimè habeatis. Sed enim voluendi erant Scriptores tum antiqui tum noui, & nonnulli quidem veſtri Ordinis, qui paſſim fatentur à Rectoribus Academiarum prærogatiuam excommunicandi haberi. At vos alij rei quàm literis & libris intentos, præſumptio & calor in rebus etiam planis decipit, eò periculoſiùs, quòd cùm ſinguli vos Magiſtros Conſcientiarum profiteamini, vniuerſi tamen ita in re plana hallucinamini. An vobis ita conſuetum non aliud tractare, non aliud dubitare, quàm habeatne hic Rex, hic Magiſtratus hanc poteſtatem, vt eo modo omnes à vobis pendere videantur? At enimuerò non haberet Rector iure communi poteſtatem illam, habuiſſet iure priuo, conceſsione Pontificis, vſu perpetuo, hocque ſufficere debebatis vobiſcum reputare, Patres, ne fingere, vel impudenter aliquem iure ſuo ſpoliare dicamini. Non poſſum reticere, id, quod nunc vulgatis, iam dudum vos inter iuuentutem Academicam ſparſiſſe. Cracouiæ aliqui ante annum tumultum excitarant, cuius capita fuére nonnulli ex Scholis Patrum huc

 profecti:

profecti: dum Rector officii sui arbitratus examinat factum, iuramento, metu Censurarum adigit iuuentutem ad prodendos principes tumultus, complices. Illis ipsis discipulis Patrum Iesuitæ aliqui ad S. Barbaram persuadent, non teneri eos obtemperare Rectori, neque iuramento, neq; Censuris adigi posse ad proferendum quicquam de tumultu; maleque Rectorem agere, qui in tantum vendicet tumultum contra hominem Hæreticum excitatum. Hæc res inter Studiosos palàm fuit, publiceq; à non vno coram iudicio narrata, nec eam Patres negare possunt, qui publicè, manifestè, non clàm id duntaxat asserebant. En quomodo iuuentutem instituitis? annon hæc seminia sunt confœderationum, conspirationum in Principem, tumultuum, dum Magistratus autoritate eleuata, licentiæ portam aperitis? cùm potissimùm quicquid vel minimum hac in parte iuuentuti conceditur, crescat in immensum, nec in sola Schola consistat, verùm etiam in ruinam & perniciem Reipub. & communis patriæ erumpat.

28. *Irritum conatum illum auocandæ iuuentutis à vestra disputatione* asseris vanissime, atq; vt pius es, *iusto Dei iudicio* id euenisse autumas.

Scilicet vt figmento tuo credatur per Poloniam, iuuentutem vobis fauere, vos quærere, optare, admirari & eiusmodi nugas meracissimas, quibus philautia repleuit. Non mirum esset profectò, si iuuentus Bedellum hominem parui momenti non fuisset sequuta; non mirum, si ei non obtemperasset, quem aliàs deridiculo habere consueuit; & tu id, Ruscoui, hominis leuitati tribueres, si bonus esses, potiùs quàm iusto Dei iudicio. Quòd si delirare libuit, etiam miraculo euenisse dixisses, vt eò faciliùs te omnes nugari animaduerterent. Ego verò iusto Dei iudicio euenisse dicam contrarium, & verè; iuuentutem omnem ad voculam hominis haud magni precii excitam abiisse præ-

ſe, præter illam, quæ ſcabellis impedita exitum non habuit, teſtata tamen quocunque modo potuit, ſe ægrè ibi retentam. Falſum ergo quod dicis, nihili habitam autoritatem Magnifici Domini Rectoris, cum Bedelli, nullius iuſſu per iocum iuuentutem euocantis, mandatum plurimi fieret. Cum mihi venit in mentem, vos coram principibus huius Regni viris, nil crebriùs & magis iactaſſe, quàm vnionem cum Academia, vt ſcilicet ynum corpus ſub vno Capite eſſetis: nunc verò ita autoritatem Rectoriam adgredimini, ita fertis voculam vnius Bedelli, qui aliàs in Actibus veſtris eſſet, ſi vniti eſſetis. Prorſus video verum eſſe id, quod ab antiquis noſtris accepimus, Concordiam quidem inter Profeſſores eiuſdem conditionis difficilem eſſe: inter diſsimiles conditione, quales vos eſtis, prorſus eſſe non valere: inter candorem Academicum, ſimplicitatem, & inter malignitatem, quam exeritis, ne cogitari quidem de ea poſſe.

29. *Deinde finitam diſputationem* aìs *in auditorum corona frequentiſsima, quam locus ſatis amplus capere non poterat.*

Putas, qui hæc leget, non dolebit ſe non interfuiſſe tam celebri Actui: qui hæc leget, inquam, nec ſciet, quid rerum agatur. Nam qui ſciet, ridebit vanitatem proſtitutam, Vos ſcilicet per Poloniam more veſtro ſpargere, magni quippiam feciſſe, cum nihil omnino feciſſetis. Hem verò, diſputatio veſtra celebrata fuit in triclinio mediocri, & ducentorum vix capace, quem tu locum ſatis amplum dicis: in quo ad centum plus minus Ieſuitarum fuit, tum familia D. Capitanei, & aliquot Canonicorum Cracouien. tum veſtrates Studioſi aliquot, noſtrorum ſeptem vel octo, demum famuli aurificum, ahenatorum, ſartorum, pellificum, numero circiter decem. Hæc fuit tibi frequentiſsima & nobiliſsima corona; neque ego nugas te-

 cum

cum ago, sed rem ex nomenclatore, & vt numeratam habeo, refero.

30. *Præter alios verò commemoratos*, infis, *Magistrorum & Baccalaureorum honorifica præsentia.*

Cum diobolari aliqua & edentula anu mallem agere, quàm tecum, ita blatis, & ad singula si mouerer, tui similis nugator essem. Ex eodem itaque nomenclatore tibi indico Magistros, qui honorarunt vestram disputationem. Duo quidam Academia pulsi ob suspicionem non inanem certi criminis, vt ægrè nobis facere viderentur, prima subsellia vobis concedentibus occupauêre, vtpote qui fauore vestro crimen & Proscriptionem tegere vellent; vos præsentiam illorum pro Academicorum honorata præsentia venditaretis. Et hæc fuit honorifica, vt dicis, assistentia Magistrorum; atqui illorumipsorum vnus aliquot diebus pòst in facinore, ob quod Academiâ pulsus fuit, deprehensus, nisi manibus familiæ elapsus esset, sua honorifica præsentia carcerem ornasset; metuendum, ne duriori spectaculo fuisset. Vana hucusque & non vera; Sequuntur falsa magis & calumniosa.

Alumni seu Studiosi Academiæ, ipsis benè noti, ad incrementum incohati tumultus, & multiplicis iniuriæ, sæpius Theses Philosophicas & Theologicas, à portis dicti Collegii & Templi Sancti Petri violente ac tumultuariè, iniuriosèq; cum scandalo Hæreticorum & Catholicorum auulserunt, lacerarunt, combusserunt.

Nimiùm obesæ naris sit ille, cui non innotescat, quid hæc sibi velint, quoque animo dicantur. Singula percurro.

31. *Alumni ipsis benè noti.*

Quia falsum satis asserere non poterant Patres, incertis & generalibus verbis inuoluunt, ex quibusque patet, non veritatem illos

illos, sed commentum suum malè excogitatum, malè concoctū dicere. Illi ergo ipsis benè noti, nempe sibiipsis benè noti, non cuipiam alteri, vel certè Vniuersitati toti, quanta quanta est, cogniti, vobis verò ignoti proculdubio. Si ita, quî scitis alumnos Vniversitatis fuisse? quî asserere audetis eos fecisse, quos non nostis? quomodo hac in parte conscientiæ & fidei vestræ consuletis? quis vos vindicabit, ne calumniam puerilem & fatuam dixisse videamini? quid si figuli famulus abripuit chartam, vt ea lithargyrum inuolveret? quid si pharmacopœi seruulus ad alium vsum? alumnum Academiæ dicetis statim fecisse, & quidem eò faciliùs, quia ad nominandum & demonstrandum autorem facti non adstringimini, nisi vt generali calumnia ab alumno Academiæ factum dicatis.

32. *Ad incrementum inchoati tumultus Theses auulsas* ais.

Etiamne incrementum? vt si de tumultu iam facto constaret, qui postmodùm incrementum caperet; hoc verò incrementum cum tumultu suo planissimum vestrum figmentum, & incrementum malignitatis est. Debebatis vobiscum reputare, tumultum rem capitalem esse, publicam, & debere omnibus de tumultu constare, quàm eius aliquis autor accusetur. Vos, cùm Cracouiæ de tumultu ne somniatum quidem esset vsquā, tumultus Academiam accusatis, qui nunquam fuit.

33. Hæc ego aliàs; nunc ad *auulsionem Thesium* venio.

Eam verò nemo hucusq; pro iniuria accepit. Publici quippe iuris sunt hæc programmata vel legentium, vel accipientium dum lecta sunt, vt loco auulsarum noua substitui passim moris sit. Vos verò noui Dictatores admirandam nobis Præturam hîc geritis, perduellionis & tumultus auellentem condemnatis. Albi Prætoris corrupti pœna est iure non adeo grauis, licet

illud

illud publica autoritate fulciatur: vestrarum verò Thesium, nulla autoritate affixarum, abreptionem non immeritò impunem quis credat: oportere vos deducere primò, quo iure adfixistis, quoniam iniuriâ refixas protestamini. Quærite verò iam (etiamsi aliquid iuris haberetis, quod vobis non concedo) ex Ordinibus Religiosis huius Ciuitatis, quoties disputant, an Thesium affixarum refixione moueantur? an ad Protestationem eiusmodi recurrant? an eo statim tumultus aliquem insimulent? & non potiùs vel leuitate, vel curiositate alicuius factum prudenter dissimulent? Vobis verò naturale est, qualibet occasione tumultum insinuare, idq; iteratò & iteratò dicere; quòd si vires adfuissent, contra Academiam fecissetis.

34. Sequitur *multiplicem illatam iniuriam Societati auulsione Thesium.*

Ita superbi facere consueuerunt, rem nullius momenti pro iniuria capere, eamque cum suo fastu comparatam multiplicare: Vnde vos Patres non multiplicem debebatis dicere sed sexcentuplicem, atque adeo millies mille multiplicatam. Quæ tamen illa iniuria sit, Ruscoui, tu nunquam edisseres, ut alio Cicerone hîc opus sit. Ego verò illos, qui hæc vestra abripuerunt, meritò fecisse aio. Si enim hederam pendentem auellere cuiuis licet, si ea ibi pendeat, vbi vinum non est venale, neq; eius vendendi facultas: profectò, qui hederam Thesium vestrarum indicem Scholæ, Collegii, quod non est, nec esse potest, auulsit, non immeritò fecit. Loquebantur illæ quippe Theses falsò transeuntibus, Collegium hîc esse Patrum, esse Studium, esse Disputationem publicam; loquebantur cum detrimento Vniuersitatis. Non immeritò igitur eas puniuit, qui tanquam falsos indices suo loco tulit.

Hîc verò exaggerationes tuas, Ruscoui, prorsus Rhetoricas & vrgentes rem quis non admiretur? ais enim

35. Violente

35. *Violente, tumultuariè, & iniuriosè abreptas.*

Dixisses aliquid ampliùs, sed tibi verborum copia defiit, imò vltra hæc non poteras quicquam grauius dicere. Violentè chartam abreptam, est quòd indignetur aliquis, summa vi scilicet adhibita, vtpote quòd illa fortior quolibet chalybe esset. Si fundamentum ædis columna à quopiam subuertatur, id verò violente fieri solet; chartam lacerari absque violentia commune est. Sed vos augere calumniam modo dicendi inconsueto volebatis; si aliquem inueniretis æquè fungum, vt vos hîc estis.

36. Eiusdem farinæ est, *tumultuariè.*

Aliquot millia hominum Ciuitatis agmine facto, vi armata aggressi sunt Theses vestras, & quisque illorum cum litera, syllaba, verbo, versu pugnauit, vt sese cuiq; obtulit alea prælii. Dicam quod res est, vt ingenuus sum. Transiens fortè, speciem huius tumultus vidi; tres pueruli, quorum natu maximus erat annorum sex, secum conferebant de charta Thesium vestrarū habenda, seseq; ad eas aggrediundas excitabant, nisi vnus eorum diceret, se vidisse vnum Iesuitam latentem ad postes scuticâ armatum, qua exciperet inuasores Thesium, remque postmodum aduerti sic se habere: Vnus quippe vestrûm ad postes occultus stabat, puerili ferula instructus, qua seditionem illam auerteret. En vobis tumultum, quo nunquam maior à Cracouia condita extitit, in quo compescendo tantum adlaborarunt omnes Magistratus huius Vrbis, nec res componi potuit sine sanguine, cæde. Sed tu, ô bone Protestator, post exhibitos hos montes nobis, immemor tui (quod tibi creberrimè inter protestandum accidit) parturis murem ridiculum; post violentiam enim & tumultum, quanti capax esse potuit laceratio chartæ vnius, rem totam reducis ad simplicem iniuriam.

37. *Iniurioseq́ʒ* inquis *abreptas Theses.*
Iniuriosè ædepol dicis, tibiq; iniuriam facis hoc verbo in tantum à te detrito, & ornatui orationis tuæ, & veritati. Vt quid enim illam iniuriam aliter eloqui non vales, quàm vt iniuriam & iniuriam vocites? Scholæ vulgò habent iniuriam quandam esse datam, quandam acceptam; hæc tua non data à nobis, sed à vobis accepta.

38. *Cum scandalo Catholicorum & Hæreticorum subdis.*
Si hîc scandalum vllum esset, non aliunde proueniret profectò, quàm ex manifestatione facti: rei enim occultæ & ignotæ nullum est scandalum, & tantò magis, si ille, qui vulgauit rem, scandali nomine indigetauit. Hoc verò est quod fecistis, cum rem leuem in tantum vulgastis & auxistis, vt si omnibus vobis caput perfractum esset. Esto verò, fuerit hoc scandalum, eius verò causam Academia non dedit, iure suo & defensione vsa, sed vos, qui ius alienum inuaditis, atteritis, abripitis. Putatis verò rem scandalo carituram, cum calumniæ manifestæ, contumeliæ & vanitates vestræ, quibus conficere Academiam credebatis, in publicum proferentur? Quoties enim hucusque mille scandalis hac in parte fores aperuistis, cum per cathedras, pulpita Ciuitatis apertè perplexè, directè obliquè, clàm palàm, innocentissimæ Scholæ honorem proscinderetis tacentibus nobis, & nunc demum, cùm ferrum iugulo infigitis, criminis grauissimi accusatis, ad defensionem necessariam adactis. Creditis Ciuitatem hanc ignaram esse vestrarum artium? Cùm enim aliàs crebro scandalo fuissetis, tum hîc videns iniquitatem conatus vestri, cum pompam illam inchoati Collegii tanto apparatu cogitassetis, tanto sumptu instruxissetis, tanta vanitate ab aliquot mensibus deprædicassetis, deseruit vos Triumphum agentes, abhorrens à cogitatu

vestro;

vestro, quo aliud agebatur, aliud fingebatur; fingebatur religio & pietas, agebatur rei alienæ inuasio, occupatio. Vos interim pro consolatione, pro strepitu Scholarum, ad boatus tormentorum recurristis, quouis prudentiore secum recogitante, dare pœnas Patres Cracouiam conuocatos vna vice tot scandalorum, quot hucusque fecerunt.

39. Quid verò de his Thesibus actum, tu, omnium Oratorum maxime, exaggeras, *auulserunt?* crimen, *lacerarunt?* scelus. *combusserunt?* facinus.

& vna charta quidem tot suppliciorum capax fuit, mi Ruscoui. Non debebas tu dicere, combusserunt; sed pro firmanda illa multiplici iniuria, aliquid de illis fecerunt: combustio enim non in probrum vestrũ facta fuit, sed Triumphum. Nam cum exemplarium aliquot millia excudi curassetis, vt sperabatis solennitatem disputationis: postquam sola ducenta expendistis, quod reliquum erat, Triumphali rogo faciendo à vobis impensum est. Sed ego alicui nugari videor tecum, & te autore. Hucusque calumniæ eiusmodi, quæ plus ioci & puerilitatis haberent quàm noxæ; nunc atrocissimæ & audacissimæ sequuntur. Sed ô summa veritas, quàm magna est iustitia tua, quæ calumniantem ipsius ore conficis, improbitatemq; in caput improbi refundis, &, vt alii nocere cupiens seipsum in laqueum conijciat, efficis! Si vnquam huius rei exemplum visũ, hîc certè, dum manifestò ignis labiorum vestrorum, quem in tecta Academica conijcere volebatis, in vos decidit: & quod hucusque vagis rumoribus spargebatur, vos nocendi esse auidos & calumniandi; hoc exemplo demum planum, manifestũ, & extra omnem controuersiam erit.

40. *Domicilium* itaq; *ad S. Petrum lapidibus sæpè nocturno tempore impetitum ab Academicis.*

Admirandam patientiam vestram! Contigerat aliquando pu-

erum nobilem in vicina Academica æde verſantem, lapillum proieciſſe in impluuium Patrum, ea re neminem læſum fuiſſe, nihilq; actum, quod iura viciniæ afficere poſſet: quantas tum querelas, Deus bone, exciuêre, quas non accuſationes, gaudentes datam ſibi occaſionem conquerendi! Poterat quidem tum temporis (nam res à tribus annis circiter acta eſt) obijci Patribus, eos fouere in eadem domo iuuenes petulantes, qui iaculis confixerunt copulam D. Petri tum temporis recentem, in periculumq; adduxerunt, ne corruat, incidente pluuia inter tegulas æreas & aſſeres ligneos, mirumque id Patres potiùs curare debere, quàm vt iactu lapilli offendantur. Sed quia hæc ad nos non ſpectabant, vapulauit nobilis puer, ſeuerisſimeque prohibitum, ne quis vnquam in poſterum iactu lapillorum in vicinia Patrum luderet. Quòd ſi ita Patres exarſêre olim ob iactum lapilli, quid iam non feciſſent? annon impleſſent vrbem eiulatibus, non cathedras querelis, annon aſſeruaſſent lapides illos, non attuliſſent in conſpectum S. R. Mtis? Quid verò verbi eſt illud, *ſæpius proiecti?* numerari debebant; ſi vnus ſemiuncialis tanti habitus, proferri conueniens erat, quid damni eis datum.

41. *Sed nocturno tempore*, ſcilicet vt calumniator hoc ipſo ſe falſum dicere conuincat. Iuriſconſulti teſtem, qui aliquid ſe vidiſſe noctu & per tenebras dicit, non immeritò repellunt, pro falſoq; habent. Tu eiuſmodi es, per tenebras vidiſti, noctu ſpeculatus es Academicos fundis lapides iacientes; addidiſſes (cum D. Doctore loquar) dormientes Ieſuitas id duntaxat ſpeculatos eſſe. Dormientes teſtes adhibes? verè tu ipſe obdormiiſti, qui in profunda verſutia & malitia demergeris, cum hoc dicis.

42. Tandem *feneſtras aliquot iis violente & ſtudio nocendi iactatis confractas* quereris.

Quid

Quid ad hæc? nisi falsa esse & improbè conficta, eoque faciliùs iactata à vobis, quia probationem effugiunt, cùm circumstantiis locorum, temporum, qualitatis, personarum minimè describantur, sed tantùm iactentur & spargantur. Fenestras verò seu specularia confracta libenter à vobis dici audimus; habemus enim hinc magnam occasionem agendi contra vos, cum non exigua parte Ciuitatis, qui bombardarum gemitibus maiorem partem vitrearum in vicinia loco emouistis, conquassastis. Confractæ vobis fenestræ? Non tantùm vobis, sed vicinis ferè omnibus, vt communem iacturam leuiùs ferre deberetis. Quærite ex vicinis vestris, quotquot sunt, an Scholares illas vitreas confregerint? si annuent, habebitis testimonia virorum proborum, quibus conuincatis nos. Sed ego probè scio, illos dicturos, Iesuitas dum imperitè, importunè maiora tormenta in angustum platearum deducta explodunt, non tãtùm fenestras confregisse, sed etiam ædium fundamenta loco emouisse. Ita dicent herculès viri probi & animum calumniandi non habentes, Vobis interim egregiis Religiosis errorem & factum vestrum in calumniam alienam conuertentibus.

43. Sed vt figmentum auges? *lapidibus violente iactatis*, quod verbum ita detriuisti tua Protestatione, vt iam vix vllum habere videaris, cui potiùs calumnias tuas, veritate tamen ita volente, ineptiùs inniti velis. Catapultis, puto ego, ballistis, ingentis molis lapides immissos in vestra tecta pluisse, omniaque pertudisse, aliquem vestrûm interemisse, vnde ille animus nocendi colligatur; quin imò tumultum in Patres excitatum, lapidum vi promotum. Hæc verò tam vera sunt, quàm tu tibi constas, cum ea refers. Equidem diligentèr speculantibus, vtrum vel vitrum in vestrarum ædium fenestris confractum esset; nullum prorsus tum visum, idq; eo factum, quòd præuidentes tonitrua bombardarum eis nocere posse, omnes vel mouistis loco, vel aperuistis, vt illa clades

confractionis à vobis tranſierit ad vicinos ignorantes, quo pacto vitreas ſuas à bombardis veſtris tueri deberent. Dic iam ergo Ruſcoui, feneſtras confractas ab Academicis, quæ à vobis calumniæ intentis facilimè confringi poterant: dic confractas à nobis, quas ipſi confregiſtis. Sed vt calumniæ tuæ & falſitatis ſummum apicem conſequaris, dic confractas è platea publica, quæ omnibus plateam publicam tranſeuntibus integræ prorſus viſæ. Multiformem ego calumniam audiui, vitream, qualem hîc machinati eſtis, & quidē confractam, nunquã audiui hucuſque. Poſtquam viderunt noſtri Proteſtatores ſibi non ſuccedere commenta de lapidibus iactis, de feneſtris fractis; relapſi ſunt ad antiquam cantilenam.

44. *de Theſibus valuis Eccleſiæ affixis per Academicos auulſis.* Sed quia hoc leue videretur, miro artificio (vt ipſi putant) Criminationem augent, perfrictaq; prorſus fronte exoticum & inauditum neſcio quid ſceleris in Theſium refixione comminiſcuntur. Vt verò dicam, quod veritas eſt, nemo in Academia ſcit, quis, cuius iuſſu fecerit id, quod queruntur; ſiq; detuliſſent, accuſaſſent, ſuâ pœnâ non caruiſſet. Oro vos Patres, cur non indicaſtis? cur non detuliſtis autorem facinoris potiùs, quàm ad fœdas huiuſmodi Proteſtationes deuolueremini? Factum à vobis eſſet, quod à viris probis fieri conſueuit, qui ab hominibus alieni iuris offenſi primùm adminiſtrationem iuſtitiæ petunt; ſi dominus ſuperior eam facere recuſarit, demum accuſandi eius facultatem ſe habere arbitrantur. Idem ratio naturalis, idem omne ius à nobis requirit. Porrò ſi quis dominum reum faciat facti, quod eo inſcio puer, ſeruulus, diſcipulus fecit, calumniatorem illum & inſigniter malignum eſſe oportet. Quis iam hîc probitatem veſtrã, Patres, quis candorem, quis animum, quo hæc funditis, non perſpiciat? Feciſſent pueri id quod dicitis, feciſſetis vos id quod vobis incumbebat, accuſaſſetis: niſi vapulaſſent, demũ

differen-

differendi erant Proteſtationibus famoſis Academici. Sed vos capita Academiæ per inſaniam ſummam petere vultis crimine puerili, & quidem falſo, probè ſcientes, duntaxat id quod fingitis nunquam vos præſentes contra præſentes pueros noſtros probaturos; à remotis autem & malè credulis veſtris artibus faciliùs fidem commentis & calumniis veſtris habendam. Age ergo, Proteſtator, Theſes abreptas iterum quereris. Iam reſpondi, nugas eſſe. Sed tu rem auges.

45. *Cum altiori loco affixæ fuiſſent, quodam inſtrumento ferreo impetu facto illas abſtraxerunt.* Prorſus inſcitus & rudis commentator es. Quid malùm illius ferrei inſtrumenti eſt? ariete, balliſta, ſcorpione, catapulta, impetu facto Theſes abſtraxerunt? neſciebas nominare illud; nam ne Vitruuius eiuſmodi habet, ſed à Mathematicis Cracouien. excogitata eſt machina ad Theſes veſtras auellendas. Quantus terror, putas, Ciuitati fuit, & debebas ſcribere, cùm ſeditioſi plus mille molem illam ferream mouerent ad poſtes ædium S. Petri, vt Theſes adimerent. Vides tuam imperitiam & nugacitatem, vtque magis videas, cum vos terrorem huius inſtrumenti deprædicaretis, inquiſitio ſedulò habita, quodnam genus inſtrumenti illud eſſet, quod centum quinquaginta Ieſuitæ conuentu factó nec deſcribere neque nominare latinè potuerunt: tandem compertum, vncinum ferreum puerulos adhibuiſſe, quo vulgò mulieres ex ciſternis Ciuitatis aquam capere ſolent. Equidem, Ruſcoui, hæc ita referebant mendici illi, qui ad poſtes S. Petri deſident, ita nominabant inſtrumentum; Tu ſi nominaſſes, metuebas ne deridiculo fores.

Demum auges atrocitatem facti falſitate, qua ſub hoc Sole nulla impudentior & virulentior magis, tùm inepta & ſeſe prodens.

46. *Hoc non contenti, alias Theſes auulſarum loco fortiùs affi-*

tiùs affi-

tiùs affixas maiore vi & impetu aggreßi, luto ac sordibus consperserunt, tanta violentia conati eas auellere, vt etiam in ea violentia lapidem è templi interioris pariete tumultuariè extruserint, alioqui validè adhærentem muro & benè impactum, cum magna Dei inprimis, Sacrificii Missæ, Sacri loci, Regis Serenißimi, iniuria & contemptu.

Maledicat vobis Summa veritas, parietes dealbati. Ego credo, vos calumniarum lernam alicubi reperisse, & ex ea nocentissimas quasque delegisse, quibus Scriptum hoc infarciretis, & Academiam impeteretis. Excoecauit vos, qui hæc vobis instillauit, Princeps mendacii, excoecauit, ne ea videretis prorsus, quæ manifestò falsa & ficta à vobis vel pueri aduertẽt. Ab Athanasio olim Magno occisum Arsenium, & vim illatam mulierculæ Arriani calumniati; rei veritate euidentèr detecta opprobrium calumniæ retulêre. Idem vobis oppidò fiet, qui contra lucem, ipsam facti euidentiam & communem hominum notitiam hæc spargitis. Loquimini iam vt cœpistis.

47. *Alias Theses auulsarum loco fortiùs affixas maiore vi ac impetu aggreßi.* Comparas postremam vim & impetum cum antecedentibus, maioremque asseris; vel hoc certè nobis explicabis: nam iam secundò hanc cramben coquis. Dixeras ergo priùs, violentè, tumultuariè, iniuriosè auulserunt, lacerarunt, combusserunt: nunc, maiore vi & impetu aggressi quid fecerunt? luto & sordibus consperserunt. Dii vos magni & minuti, Patres, quanti nugatores estis! Sed verò non hîc terminus.

48. *Magno impetu*, inquis, *aggreßi & auellere conati lapidem extruserunt.* Qui hæc attentiùs leget, videbit proculdubiò, maximè qui affixas Theses, & locum lapidis (quem vos ipsi extrusistis) considerabit. Cur, rogo, vos o-

Vos omnium mortalium optimi & innocentissimi, subticuistis hîc, cui rei affixæ erant Theses? vt scilicet aliquis secum reputaret, affixas fuisse lapidi extruso; nam si postibus affixas dixissetis, minùs efficax esset illa vestra calumnia, de turbato Missæ Sacrificio, postibus plurimùm à loco confluxus populi, & celebrationis Missæ remotis; illa verò de lapide auulso exolesceret. Postibus ergo ligneis loco alto extra Ecclesiam ad quinque cubitos à terra Theses adfixistis, id negare non potestis; manent enim etiam nunc integræ, adglutinatæ tabulæ, quam cum postibus confixistis. Producamus iam in proscenium crimen nostrum, & vestram calumniam, cuius vos ita fabulam agere instituistis, vt primas partes eius obtineret accusatio nostri ad Serenissimũ, quasi nos suum Regium ædificium inuasissemus; secundas, criminatio Hæresis, quasi nos deteriores Sectariis, & Sacrificium, & locum Sanctum contempsissemus; postremas habere debebat odium nostri per totum hoc Regnum. At ex hac comœdia contrarium quid habebitis, cum in ea libido fingendi & calumniandi ostendent, Vos omnium mortalium summè improbos & malignos esse. Pergamus autem. Quis ille impetus fuit, quo adgressi sunt Academici Theses, sex vel quinq; cubitis à terra distantes? vel gigãtea statura illis hîc opus fuit, vel tibi aliquo ferreo instrumento, quo illas aggrederentur. Tandem autem magno impetu auellere conati scilicet à postibus; id autem factum postibus immotis cardine, quod verum esse testabuntur illi pauperes, qui ad apertas fores sellulas suas collocarunt tum temporis. Iam cõfice figmentũ tuum de lapide extruso. A postibus auellere conati sunt chartam extra Ecclesiã, & extruserunt lapidem in interiori pariete; postes non mouerunt cardine lapidẽ tamen intra Ecclesiam extruserunt? Extra Ecclesiam stantes chartã discerpere tentabant, & intra Ecclesiam è pariete aliquot cubitos à postibus distante, ingentem lapidem extruserunt. Scili-

cet id, quod nemo vsquam mortalium somniauit, hominem alibi existentem alibi operari, demum nouo miraculo euenit! Scilicet vos ebrios sed non à vino, quin potiùs à poculo eius, quæ sedet super bestiam coccineam, datque superbis bibere de calice mysterii sui. lapis iste de pariete clamat. Arriani calumniatores Athanasii mortuo manum absciderunt, dicentes eam ab Athanasio præsectam; Vos lapidem loco emotum circumfertis, impudentissimè iactantes à nostris extrusum. Sed autem, Ruscoui, *lapidem* firmissimè *impactum*. Debebas erubescere hæc proferre, qui Procurator ædificii illius es, tam segniter te ad operas artificum aduertere, vt lapides ad chartam amotam sequantur, nec alia vi opus sit ad mouendum ædificium illud, quàm quæ in charta laceranda adhibetur. Vellem ego te audire Historiam facti huius, causas, & rationes edisserentem, profectò diceres (vt non malus es) te scire illum quidem lapidem aliâ causâ emotum: sed Patres in Concilio ita iussisse te protestari, dicereque id quod falsum tu esse sciebas. Sed si illi Patres lapide nos conficere putabant, non vnum duntaxat afferre in medium debuissent, sed plurimos, qui intra vnam hebdomadam diuersis partibus Ecclesiæ exciderunt, cum tremeret tota Basilica illa, & rimas duceret à Thesium abreptione. Sed veritas secus se habet: cum enim vos ad octo muralia tormenta sub ipsum templum induxissetis, eaq; imperitè onerassetis, explosissetis, non tantùm ædificio vestro, sed vicinis circumquaque causam extrusionis multorum lapidum, imò ruinæ dedistis. Multi hac de re conquesti sunt apud Proconsulem Cracouien. sed inter multos vir nobilis, qui videns domum suam concuti, tremere, & ruinam minari, metuens ne quid ei deterius eueniret à bõbardis vestris, iussit tormenta in forũ producta abduci: vos hac occasione gauisi, ea sub ipsũ templum deduxistis innumerisq; vicibus explosistis. Interrogate Copulam illam vestram, dicet vobis, dum fulcimenta adigetis, quàm benè à vestris bombardis habuerit: interim nos

lapide vno conuincere apud S. R. Maiestatem vultis, qui de sumptu ingente & Regio, lasciuiâ & petulantiâ ludos facitis.

49. *Postmodum 17. Iulii, dum in Ecclesia SS. Petri & Pauli inchoata esset disputatio Theologica.*

Iam tertiò magna nomina vocas ad vanitatem, quæ vobis consuetudo in re ancipiti & periculosâ, vestra vitia magnatum titulis velare. Quodque agyrtæ & circumforanei Medici solent, quam reputationem habere non possunt artis nomine, eam testimoniis & diplomatis pictis diuersorum venantur: idem vos facitis; & vellem equidem vobis id quamoptimè cedat, nisi eo in perniciem alienam vtamini: Vtinam vani sitis vobis solis, vtinam confidatis (quod nec Christiani, nec Religiosi est) in potentia humana; vtinam vel Seiani apud omnes Principes dicamini: nostrâ nihil interesset, quicquid dicatis, scribatis, faciatis perperam venandi fauoris humani ergò, dum nos quietè à vobis viueremus. Sed cum magnos vestros, vt putatis, in terrorem & damnum alienum accersitis, videte ne mundus, quem specie contemptus vtraq; manu prensatis, vobis illudat aliquando, incidatisq; viri Religiosi in foueam, quam prudentes aulici metuunt & declinant. Nunquam quippe alienum infortunium quæsiuit vllus sine periculo sui, dum illud quæsiuit gratiâ vel irâ hominis: Vos ipsi vobiscum numerate, quot procellis, quot fluctibus iactati estis, non aliunde ortis profectò, quàm ex illa gratia magnorum, quâ vos stare arbitrabamini, quàm ex fœlicitate vestra. Vnde non est, quod nobis in posterum obijciatis Illustrissimos & Reuerendissimos, quum nos absq; illis securiùs stare & viuere arbitramur, dum modò eis reddamus id, quod eorum est, honorem, obsequium, & reuerentiam.

50. Veruntamen quid tu de posteriore disputatione? *eam habitam in præsentia Illustrissimi & Reuerendissimi*

dißimi Episcopi Laodicensis, Suffraganei Cracouiensis, Illustrißimi D. Capitanei Cracouiensis, aliorumq; Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis.
Miror ego, quòd hos Canonicos saltem Illustres non dixeris, nisi eò feceris, quòd paucissimi adfuerint. De reliquo auditorio planum est te fingere & nugas meras agere; nam præter hos nemo illi disputationi adfuit, nisi mulierculæ aliquot, non Studiosus, non Magistellus præter illum, quem tibi suprà dixi, non Religiosus, omnibus à nugis vestris ad deuotionem Patrũ Discalceatorum concurrentibus, insignemq; desolationem in Ecclesia atq; adeò Disputatione vestra relinquentibus. Propior res fuit miraculo; nam cum impudentes, vt soletis, vulgassetis, Academicos vi impedituros Disputationem, vt vestra conuinceretur impudentia, nemo vel minimus ex Academia adfuit illi Actui, præter eos, qui Protestationem detulêre.

51. Tum relaberis in tua antiqua, protrita, putida. *Occasione Congregationis Prouincialis, quæ tum finem accipiebat, & non aliam ob causam Disputationem institutam.* Inter hæc tamen vt ostendas te falsum dicere, ponis Rectorem Reuerendum (si Diis placet) Collegii S. Petri. Næ tu impudens es! quot Reges sunt in hoc Regno? quot Scholæ Regiæ? quot Academiæ? quot Collegia in hac Vrbe, vt alium Rectorem mihi pingas præter eum, qui est in Collegio Vniuersitatis? Vides hac de sola re vobiscum agi posse acriter & meritò inuasoribus honoris alieni, vides pœna falsi vos teneri, qui Rectores & Collegia ficta spargitis, vides te occœcatum prorsus cum tuis blatire id, quod velles esse, quod tamen non esse in rerum natura & omnes sciunt, & tuipse excusas. At mihi venit in mentem, Collegia varii generis haberi in hac Vrbe, sartorum, sutorum, iisque Rectores suos esse: si ita sentis, abi, vicisti. Reliquiæ Protestationis tuæ facilè euerri possunt.

52. Quòd

52. Quòd *Academici venerunt aucto suorum numero*: puta tanto, quanto possent facere tumultum, & sustinere accersitum à vobis satellitium? Sed enim subdis, *noua Protestatione turbarunt*. Hoc verum est. *Exclusione auditorum per Sapientem*. Hoc falsum. *violantes pacem publicam & immunitatem loci Sacri & Disputationis quietem &c.* Videte, quantilli Patres quanta verba funditant, quàm ex parua nubecula ignis, grando iterum prorumpit, imò fulmina contemptus Dei, Serenissimi Regis, scandali auditorum, ex eo quia Academici contra Iesuitas protestati sunt! Te equidem, Ruscoui, iampridem egressum Scholâ non miror oblitum esse, quomodo illationes & consequentiæ faciẽdæ sint: at Patribus tuis dices, iam dudum conuictos esse nugacitatis, calumniarum, contumeliarum, vt eis hæc tam atrocia nullo fundamento innixa credantur. Scirent illud fabulatoris, Poetam semper præsumi Poetam esse, atque adeò uersus & figmenta scribere. Et scilicet de Thesibus vestris labor superis, ea cura quietos sollicitat.

Epiphonema Protestationis horrendum esset, nisi secundò in Protestationem veniret. Nam vos cùm non satis haberetis calumniarum, quibus Scriptum infarciretis, quas acriores putabatis, eas geminastis & publicastis.

53. *Magna occasione per eos data ad seditiones, & tumultus, & cædes*, inquis Suspendo votiuam tabellam Ioui Liberatori; nam hucusque tumultus excitatos & factos aiebas, nunc ad te rediens, tantùm occasionem datam conquereris. Rogo te autem, quo loco, quo tempore species vlla tumultus à te conficti visa? quis audiuit ab vllo huius Ciuitatis incola de tanto malo? quid Magistratus egit, dum tan-

tum incendium seditionis inter Patres & Academicos gliscere? Atra bile laborantes, cum soli sunt, maximè existimant se à militibus circumdari, turbari, agitari; eos pauent, clamant, accersunt in auxilium vicinos. Id vobis euenit, Patres, planissimè; nam cùm deserti essetis à tota Ciuitate in pompa D. Ignatii, cùm in Disputatione habita ad S. Petrum vix quadraginta auditores haberetis, tùm temporis tamen tumultum vobis fingebatis, armatos circumstantes imaginabamini. Sed id dicitis fortè, quod volebatis videre, cuius occasiones non leues dabatis, vt scilicet sic re transuersùm acta inter vos & Academiam ad concordiam speratam deueniretur, & vt Academici abuti iuribus suis viderentur, neque vos turbarent in posterum. Quæ omnia præuidit prudenter Magistratus Academicus, & præuidet etiam nunc, si cum vestro Collegio standum est, omnes huc tumultus Vilnenses, Lublinenses, Posnanienses, transferendos, & Patres nihil acturos, quàm suam innocentiam semper testaturos, tumultusque causas in Academicos ita relaturos, vt nunc tumultus nequaquam facti eos accusant, vt vitra, quæ ipsi confregêre, lapides, quos ipsi extrusêre, sine omni pudore ab Academicis extrusos asserere audent. Vtinã vobis, Patres, aliquando verecundia sit propitia, vtinam discatis, homines in hoc Regno non posse clàm esse improbitatem vestram. Ad tumultum redeo. Tumultuata est iuuentus nostra ipsa die; frequentissima enim in Ecclesiam B. Michaëlis Patrum Discalceatorum confluens, ad Deum preces ardentissimas fudit, vt à Ciuitate hac luem morbi, ab Academia criminatorum auerteret perniciem. Equidem exaudita est oratio innocentum pro parte, vobis in Protestatiuncula vestra ita confusis, turbatis fingendo, vt quid, quorsum, quomodo dicatis, prorsus nesciatis. Cum enim excœcati, Academicos Rigenses putabatis vel Gedanenses, & quibus telis vti consuêstis in homines Hæreticos, cum exiguo nunc successu iis contra nos

tra nos vires experiri voluiſtis; improbè ſanè, cum iuuentutem tumultus arceſsitis, certè eò quòd ad ornandum diem Feſtum B. Tereſiæ ſolenni & ſpectando apparatu frequentiſsima concurriſſet, quòd vocibus feſtiuis impleſſet Ciuitatem, quòd ignibus artificioſis exornaſſet Triumphum. Tumultus is erat, ſed qualis in cœlo laudantium Dominum, feruentium charitate æterna: voces illas, geſtus, applauſum, feruorem expreſsit amor Sanctæ, & pietas candorque Religioſorum Diſcalceatorum in Scholam hanc: Vobis interim lætitiam communem & ſanctam pro tumultu accipientibus, & malis oculis probitatem alienam aſpicientibus. Hæc vobis occaſio ad cædes data, hæc ad perturbationem pacis priuatæ & publicæ, hæc inſuper ad famoſam Proteſtationem, in qua de tumultibus dixiſtis id, quod feciſſetis, non quod nos vnquam cogitauimus.

Poteram quidem breuiùs Proteſtationem veſtram perſtringere, & tribus verbis reſpondere; quicquid dicitis in ea, falſa, calumnioſa & inania eſſe: ſed quia ſcio eam quoquoverſus per Poloniam ſparſam habituram ſuos commentatores, interpretes ex Ordine veſtro, ideò vt ne ei genuina & ſua propria deeſſet interpretatio, hîc eam diſpungere & notare breuiſsimè volui. Quòd ſi aliquando acriùs quippiam dictum à me, quàm vellem, id extorſit defenſionis neceſsitas. Patribus valedico dicto Beati Hieronymi. *Benè, quòd malitia non habeat tantas vires, quantos conatus; perierat innocentia, ſi ſemper nequitiæ iuncta eſſet potentia, & totum quicquid cupit calumnia, præualeret.*

Varsaviam 1626 . 26 Febr.

Audio dixisse R.mum Legatum hoc verba: Habebant Jesuitae pro se favorabilem sententiam: Si haec ita sunt regnero videamus. Neque enim decet sedem summam ad favores inclinari. Christus est Veritas, Via, Lux. Vicarius igitur Christi est Vicarius Veritatis Viae atque lucis. Respectus ad personas quascunque aut favores tenebris fuit densissimus. Sciant autem totum mundum iudicaturum de iudicio aut Rotae aut summi Pontificis. Si quid diversum fiat, lapides etiam clamabunt. Unionem nobis ne sanctus quidem Paulus persuaserit, qui sumus artes omnes Jesuiticas tam probe quam septuagenarius aliquis Jesuita, aut eo plus. Revelabuntur aliquando. Interim nos Philosophorum illud considerabimus: Ens, Unum, Verum, Bonum convertuntur. Magno intervallo distant Unum et Unitum. Unum est Unum. Unitum multa continet. Lupus Dei ovem appetit, Unionem appetit. Vult enim carnem ovis in suam hoc est lupi carnem converti. Mitto hoc Unum exemplar per occasionem tradat R.mo Legato. Vale. Cracoviae 26 Febr. 1626.

SIN c CERE moniis

Si quid habes Iesu vita ne quam tibi partem
Qui socium fingit latro vafer rapiat.

Gdy na Grob
Ja[illegible] Bo[illegible]
pa[illegible]
[illegible]
Mo[illegible] Vadz X slow[illegible]
napis[illegible]
legi in[illegible]
notu
facium [illegible]
[illegible]